



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesv Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine


Coloniae Agrippinae, 1620


[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)





Th. 2899.


A. III
25.











... ..


DE SANCTISSIMO
CHRISTI
IESV DEI
ET HOMINIS
AMORE

Autore P. ANTONIO GAVDIER,
è Societate IESV.

Superiorum permissu.
Doms probat. Soc. Iesu Franciscus de Bona.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus PETRI Henningij,
ANNO M. DC. XX.





INDEX CAPITVM
quæ in hoc opere conti-
nentur.

PRÆFATIO. pag. I

P Tres modi, quibus Christus
potest esse obiectum a-
moris nostri. cap. I. p. 3.

Christus Dominus Deus &
homo ideo amari debet quia eo fine
Deus naturam humanam assumpsit,
vt Deum diligere possimus, cum ho-
minem diligimus. cap. 2. pag. 8.

Idem Christus Deus & homo amandus
est, quia sic non solum amamus
Deum sed induimur in distinctum
Sanctissimæ Trinitatis amorem.
cap. 3. pag. 14.

Christus Deus & homo diligendus, quia
pater vult illum ita diligere, idque

ei pro

I N D E X

- ei promisit. cap. 4. pag. 22.*
Christus Deus & homo diligendus est,
tum ob exemplum patris, tum pro-
pter beneficia ab ipso nobis collata.
cap. 5. pag. 26.
Christus Deus & homo amandus est.
quia id facilius, iucundius, & utiliusq;
nobis est. cap. 6. pag. 29.
Christus Deus & homo ob perfectiones
externas diligendus cap. 7. pag. 32.
Christus Dominus ob perfectiones in-
ternas & eximia in nos beneficia
summe diligendus. cap. 8. pag. 46.
In quo consistat hic Christi amor, &
quod bonum Christo velle & procu-
rare possimus. cap. 9. pag. 67.
Quanta esse debeat perfectio estimati-
ua amoris Christi Domini. cap. 10.
pag. 78.
Vnde pendeat perfectio estimatiua, &
duplex eius modus? cap. 11. pag. 83.
Perfectio amoris Christi intensiua vn-
de oriatur, & quanam sit. cap. 12.
pa. 89.

I N D E X

Quomodo Deus pater Filium suum
Christum suum diligendo, nos pari-
ter ad diligendum eum prouocet. ca.

13.

pa. 93

Exemplo B. Virginis & S. Iosephi
ad Christum Deum & homines
summe diligendum prouocamur ca.

14.

pa. 100

Exemplum S. Ioannis Baptista ad
Christi amorem nos excitat ca. 15

pa. 103.

Apostoli etiam nos Christi amorem su-
o exemplo docuerunt. cap. 16. pag.

108.

Maria, Martha, & Lazarus eundem
Christum quomodo diligere debea-
mus instruunt. ca. 17.

117.

Sancti alij Christi Domini amatores.

cap. 18.

pag. 121.

Hunc in nobis amorem efficit Deus ip-
se, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus

ca. 19.

pa. 131.

Nos ipsos cooperari necesse est, & dis-
ponere, vt hoc donum obtineamus.

cap

C A P I T V M.

- cap. 20. pa. 139.
Praxis quedam utilis ad exercendum,
augendumque amorem erga Chri-
stum Dominum cap. 21. pa. 152.
Quis debeat esse finis huius amoris erga
Christum. cap. 22. pa. 165.
Fructus duodecim amoris Christi Dei
& hominis. cap. 23. pa. 168.
Primus fructus, Amor Dei. pa. 171.
Secundus fructus. Diuinae legis obserua-
tio. pa. 175.
Tertius fructus. Obseruatio consiliorum
Dei pa. 180.
Quartus fructus. Illuminatio mentis
practica. pa. 183.
Quintus fructus. fiducia magna. pag.
185.
Sextus Fructus. Iugis consolatio & de-
uotio. pa. 187.
Septimus fructus. Fidei & religionis
ardor. pa. 192.
Octauus fructus. Christi Domini praesentia.
pag. 196.

C A P I T V M.

Nonus fructus. Vnio cum Proximo.
pag. 198.

Decimus fructus. Zelus animarum
pa. 199.

Vndecimus fructus. Maior efficacia
circa proximum. pa. 202.

Duodecimus fructus. Christi Domini
imitatio. pa. 208

Orationes pro impetrando amore
Christi Iesu.

Ad patrem. pa. 212.

Ad Filium. pa. 213.

Ad Spiritum Sanctum. pa. 215.

DE VE.



DE

Sanctissimo

CHRISTI IESV

DEI ET HOMINIS

AMORE.

Opusculum paraneticum.

P R Æ F A T I O.



EI Christique amor, per-
 fectionis summa est, veraq;
 hominis vita, vna omnium
 maximè necessaria occupa-
 tio, & suprema vitæ huius
 beatitudo. Et sanè mirū est
 quod, cūm ne vno quidem die, imo ne momen-
 to, nemo velit esse miser, sponte tamen ingen-
 tē hanc miseriam eligant plurimi, vt ab hac
 beata occupatione cessent, & totius vitæ ope-
 rā non inutiliter collocatā putent, si accumu-
 landis opibus, doctrinæ comparandæ, amici

A

tie

Psal. 75.

tie colligende, laboriosis sollicitudinibus
 letineantur dies annosque totos. Dormient
 somnum suum viri hi diuitiarum, & nihil
 postea inuenient in manibus suis, quia quid-
 quid in mundo est præter Christi amorem,
 nihil est, vanus est, deceptio est. Vt ergo
 Christum Dominum ardentius amare possi-
 mus, visum est operæpretium sancti huius
 exercitij causas omnes breuissimè exponere,
 nimirum materialem, siue objectum ipsum,
 efficientem, formalem, & finalem, & deni-
 que arboris huius vitæ in medio paradisi Ec-
 clesiæ à Deo plantatæ suauissimos efficacis-

Apo. 22

simosque in sanitatem gentium
 fructus recense-
 re.



TRES MODI, QUIBVS CHRIS-
tus potest esse obiectum amo-
ris nostri.

CAPVT I.



SUPERNATURALIS
noster erga Chri-
stum Dominum a-
mor, triplici in il-
lum modo ferri potest. Nam
primo possumus illum dilige-
re sine aliqua relatione ad na-
turam nostram humanam, vt
in se est vnus cum Patre &
Spiritu sancto verus æternus
que Deus, suprema bonitas &
omnis bonitatis fons; qui vt
eiusdem est cum Patre essen-
tiæ, potentiæ, sapientiæ par-
ticeps, ita parem cum illo ab
hominibus exigit cultum, ob-

1. Et
Deusest.

*Ioan.**cap. 4.**2. Vt**homo.**Suar. in**3. d. 35.**sect. 3.**10. 1.*

seruantiam & amorem. Spiritus enim est Deus Pater Filius & Spiritus sanctus, & eum non adorare tantum in spiritu oportet, sed & amare. Secundo, si Christi humanitatem præcisè & abstractè consideremus, contemplando illam solùm vt quandam rationalem naturam, sanctissimam & purissimam, summaq; præditam dignitate, possumus ad illam affici, & supernaturaliter eam amare, eritque amor ille rectissimus, etsi illo non ametur persona verbi, sed sola humanitas, quia & ipsa reuera est in se amabilis, & nullum est præceptum quod obliget ad amandum semper

verbum

IESV CHRISTI. 5

verbum quoties illa amatur. ille tamen amor quamuis sit ex charitate, non attingit illam singularem excellentiam amoris super omnia, quo Deus amandus est, sed est infra illum, excedens tamē omnem amorem vllius creaturæ; longūque magis redundat in Deum quam amor proximivel amor medij in finem redundet.


Tertio, possumus amare Christum vt est Deus & homo, siue vt est Deus vnitus hypostaticè humanæ naturæ, atque adeo, vt in humana natura ac per eam nouis quibusdam modis suam bonitatem manifestat, & diffundit. Et quanquam amor in DEVM

3. Vt
Deus &
homo.

A 3 noster

noſter eò accedere ad diuinũ
propiũs videatur quo magis
ſpiritualis eſt, & per pauciora
ſimplicioraque media in eum
aſſurgit: tamen in hac vita ea
eſt humanæ naturæ infirmi-
tas & cœcitas, vt multis egea-
mus iſſque efficacibus medijs
ad hoc, vt immenſa illa boni-
tas, applicata per cognitio-
nem noſtræ voluntati, ita vt
par eſt diligatur, inter quę nul-
lum eſt efficacius incarnatio-
ne Verbi diuini, quæ ſumma
bonitatis ſumma communi-
catio eſt, qua nullum potuit
à DEO in humanum genus vel
maius beneficium vel modo
præſtantiori conferri, vt nec
arctiori vinculo ſe DEVS in
homi.

hominum naturam insinua-
 re, nec eam sibi potentiùs ad-
 stringere, quam si eam secum
 in vnitatem personæ assume-
 ret. Quare si Christiano cui-
 bet hæc cura debet esse præci-
 pua, debet sane Religiosus to-
 tus in id incumbere, vt hoc
 sibi sui amoris obiectum red-
 dat valde familiare, & erga
 CHRISTVM IESVM Deum
 & hominem singulari quo-
 dam eoq; suauissimo pie-
 tatis sensu afficia-
 tur.



CHRISTVS DOMINVS DEVS
 & homo ideo amari debet, quia eo
 sine Deus naturam humanam as-
 sumpsit, vt Deum diligere
 possemus, cum ho-
 minem diligi-
 mus.

CAPVT II

August.
13. de
Trinit.
c. 10. &
11.

Hic fuit finis vnus ex præ-
 cipuis incarnationis di-
 uini verbi. Cùm enim Deum
 diligere supernaturali amore
 deberemus, essetq; valde dif-
 ficile homini sensibus im-
 merso & addicto sensibilibus
 bonis, inuisibilem Deum pu-
 rè apprehendere & amare,
 Deus sese hominem fecit, vt
 sese sensibiliter quodammo-
 do faceret amabilem, & sic
 dum homo Christum homi-

nem

nem amat, amaret simul & Deum: nec enim cum præit dux fides in solo homine figuratur affectus dilectionis, sed immergitur profundius in Deum qui homo est, & quem in illo homine tam conspicuum cernit, & adeò amabilem intuetur. Est igitur quædam veluti amoris nostri esca humanitas illa, quam cū vt sibi conuenientem cibum persequitur & accipit, Deum ipsum capit, & ab illo capitur, pascitur, reficitur, & voluntas nostra tota Deo repletur. Neque id solum propterea, quia ob vnionem Hypostaticam non potest amari homo Christus quin Deus ipse qui

1. Quia
qui homo
est,
idem est
& Deus.

2. Quia
in eo ho-
mine tes-
ta ratio

A S VNUS

IO DE AMORE

amandi

Deum

elucet.

Aug. in

Manual.

cap. 26.

vnus & idem cum homine
est diligatur : sed quia in eo a-
moris obiecto tota diuinæ a-
mabilitatis vis supra quam
dici, aut cogitari, sentiriue po-
test sita est, adeo vt non tantū
obiectum ipsum amoris in v-
no Christo habeamus præsen-
tissimum & patentissimum e-
tiam sensibus, sed etiā quia ex
eodem diuinæ bonitatis ignis
emicat qui cor nostrum effi-
cacissimis motiuis amoris in-
flammat. Deus enim cum
sit suprema bonitas, est qui-
dem in se summè amabilis;
verum hæc tanta bonitas a-
mari non potest, nisi prout
voluntati applicatur, nec
ignis ille corda nostra in-

flamma-

flammare potest, nisi ea attingat. Eius proprius est locus in sinu Dei, qui sicut suam solus bonitatem comprehendit & possidet; ita seipsum in seipso solus amat quantum amabilis est. Et effuderat quidem extra se per creationem bonitatis illius suæ particulas, quæ & in angelis & hominibus, si modo eas mente conciperent, poterant magnum amoris incendium excitare, sed pauci cordibus suis applicuerunt tanta amoris incentiua, quin potius bonis creatis, quæ per sensus inuadebant in animum, adhærescentes, exarserunt in ordinatissimis amoribus. Venit ergo

ipsemet DEVS, & tota ipsa
 bonitas amabilitasq; descen-
 dit in terram, & ex sinu patris
 vnigenitus filius totum simul
 amoris ignem missurus in ter-
 ras hominem assumpsit. In eo
 homine & per eum hominem
 totam Dei detexit bonitatē,
 benignitatem & amorem in
 nos, ostendit diuitias & the-
 sauros olim reconditos gratiæ
 eius, & misericordiæ infinitæ
 occultissima viscera nudauit
 ad fundum vsque, aperuit ab-
 ditissimos sapientiæ fontes,
 omnia deniq; etiam profun-
 da Dei reclusit. Tota ergo di-
 uinæ bonitatis & amabilitatis
 vis in eo homine collocata
 cum Deum & hominem Ie-
 sum

Luc. 2.

*D. Tho.
opuse.
60.*

sum Christum diligimus, in
 corda nostra illabitur, & in ijs
 ignem illum vehementer ac-
 cedit, quem ipse venit in ter-
 ram mittere. Non igitur ne-
 cesse est Deum querere in eius
 varijs operibus, & actu quo-
 dammodo reflexo perfectio-
 nes eius inuestigare, vt inde
 eum amare possimus: hinc in v-
 no Christo omnia habemus
 in propatulo, & ex hoc vno o-
 pere diuinarum perfectionũ
 beneficij radij emicant, & sa-
 gittæ potentissimæ emittun-
 tur in corda & amicorum

.nc. 12.

Psal. 44.

& inimicorum

regis.

* *

*

A 7

CAPVT

IDEO CHRISTVS DEVS ET
homo amandus est, quia sic non solum
amamus Deum, sed induci-
mur in distinctum Sanctis-
simæ Trinitatis a-
morem.

CAPVT III.

*Ioan. 12.**Ioan. 14*

SICVT Christus Dominus
dicebat Apostolis suis: qui
videt me, videt & patrem
meum, & qui credit in me,
credit in eum qui misit me:
ita pariter & dicere poterat:
qui diligit me, diligit & pa-
trem meum, imo & Spiritum
Sanctum, quia Pater, & Filius,
& Spiritus Sanctus vnus ve-
rus æternusque DEVS est;
nec potest vllus diligere filiũ,
nisi simul diligat & Patrem
& Spiritum, nec potest amare

Patrem

Patrem nisi amet etiam Filiū,
& Spiritum Sanctum ob in-
diuisibilem & simplicem tri-
um personarum in eadem na-
tura vnitatem. Quare licet
amor in Filium non videatur
formaliter tendere in Patrem
& Spiritum Sanctum, tamen
re ipsa in vtrumque tendit, &
efficit sæpe vt formaliter etiā
& expresse in vtrumq; feratur,
cū Filius media sit in San-
ctissima Trinitate persona. Et
sane admirabile fuit diuinæ
sapientiæ consilium, quod cū
nec Pater nec Spiritus San-
ctus, sed solus Filius naturam
nostrā assumpserit, fecerit ni-
hilominus vt amor noster dū
in Christum Dei pariter atq;

homi-

hominis Filium ob naturæ & sanguinis cōmunionem ferretur, inde reflūeret in ipsum verbum, à Verbo vero in Patrem cuius filius est imago & figura substantiæ, & ab utroq; in Spiritū S. qui vtriusq; amor est vno eodē veluti canali sanctissimæ purissimeq; humanitatis deriuaretur. Quare mandatū nouū amoris quod Christus Apostolis & Ecclesiæ promulgauit non tantūm fuit de amore quo inuicem vt vnus noui capitis membra coniungi debemus, sed etiam de nouo expressiori q; & longè maiori quam antea amore Sanctissimæ Trinitatis, tum propter eam vnionem & veluti

cogna-

Ioan. 13

cognitionem quam iam habet nobiscum vnito naturæ nostræ verbo diuino: tū propter hoc tantum beneficium Incarnationis nobis à tota Sanctissima Trinitate exhibitum: eius enim opus est incarnatio ideo perfectum vt amorem nostrum tota possideret, & suum erga nos commenderet. Nam quamuis dicat Filius de solo patre, sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, non excludit ab eo opere seipsum & Spiritum sanctum; & quamuis à solo Patre sit æterna Verbi generatio, à tota tamen Trinitate est generatio temporalis. Vnde recte S. Fulgent. Chri-

stum

*De In-
carna-
tione.
Verbi.*

stū dicimus sine initio de corde Patris natum, dicimus in tempore factum opere Trinitatis, Filium enim suum proprium & de sua natura Pater genuit, sed non solus fecit, in filio enim vnigenito solius generatio Patris æterna, & in eodem filio facto vna totius est operatio Trinitatis. Et paulò post, Ipsam Christi Domini in suâ incarnatione erga homines pietatem cōmendans subiungit. Deus ipse vnigenitus, incōprehensibilis & immortalis, à nullo factus, & rerum omnium factor æternus suo dignatus est opere Christus fieri, vt Iudeorum posset opere crucifigi quia redempto-

rem

rem mundi traditū crux nulla ratione portasset, nisi mundi factorem conceptum Virginis vterus edidisset. Itaque iam per Christum & in Christo amor noster in Patrem qui talem dedit filium, & in Spiritum Sanctum, per quem illum nobis dedit expressior est. Sicut enim Christus principium est Spiritus Sancti, qui est expressus amor Patris & Filij: Ita in Christum fides & amor fons est ex quo flumina illa aquæ viuæ amoris in Patrem & Spiritum Sanctum perenniter fluunt. Merito igitur Christus Dominus de se ait: Ego sum lux mūdi, qui sequitur me non ambulat in tenebris,

Ioan. 7.

Ioan. 8.

Ioan. 12.

nebris, sed habebit lumen vitæ, Et iterum: Qui videt me, videt & eum qui misit me: ego lux veni in mundum vt omnis qui credit in me non in tenebris maneat. Hæc enim lux non tantum ea quæ mundo abscondita erāt, ipsis prope corporis oculis subiecit, & Patris nomen, diuinitatē, sapientiā, bonitatem, iustitiā manifestauit hominibus, sed simul etiam vitā influxit diuini erga Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum amoris, & quemadmodum per eum expressior Dei & Sanctissimæ Trinitatis notitia mundo illata est: ita & amor in Deum, diuinasque personas distin-

Ioan. 17

ctior

ctior, ac proinde fortior, potentiorque diffusus est: sic enim propriè est lumen vitæ cum non nuda cognitione mentes imbuat, sed amoris etiam excellentis vitali calore mortis tenebras pariter & frigus dispellat. hæc enim est vita quæ erat apud Patrem quæ ab æterno gloriosissima Trinitas beatissimè viuebat, in se, in Patre Filius, & in Filio Pater, vterq; in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in vtroq; admirabili nexu amoris in bonitatis suæ fruitione quiescēs: hanc nobis vitā filius iam exhibet, adeo vt per eū in illam vitæ societatem à beatissima Trinitate admissi iam simus,

vt

Ioan. 1.

vt significat amator Christi
discipul^o: Vita, inquit, manife-
stata est, & vidim^o, & testamur,
& annunciamus vobis vitam
aeternam quæ erat apud Pa-
trem, & apparuit nobis quod
vidimus & audiuius annun-
ciamus vobis, vt & vos socie-
tatem habeatis nobiscum, &
societas nostra sit cum Patre,
& filio eius Iesu Christo.

CHRISTVS DEVS ET HOMO
ideo diligendus, quia Pater vult illum
ita diligere, idque ei pro-
misi.

CAPVT III.

AD hunc Christi Domini
Dei & hominis amorem
nos Pater obstrinxit, imo vt ei
procuraret sese ipse obligauit,
nam promisit ei gentes in hæ-

psal. 2.

red

reditatem. quare cum iam inciperent gentes ad illum confluere, & videre Iesum cuperēt, Christus ipse ait, venit hora vt clarificetur filius hominis, & vox à Patre audita est, & clarificaui, & iterum clarificabo, Hæc autē clarificatio promissa in eo consistit, vt in toto orbe & cognoscatur, & honoretur, & ametur Christus non tantum vt hominis, sed etiam vt Dei filius. Quare ipsemet Christus, hac Patris promissione de sua clarificatione accepta, ibidem prædicit ita fore, si, inquit, exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hæc enim est maxima Christi Domini gloria,

quod

Ioan. 12

quod crucifixus ad se omnium
trahit corda, & invito Dæ-
mone, mundo repugnante a-
morem nostrum à creatis bo-
nis abstractum in sese colligit.
Hanc promissionem, vt im-
pleat Pater passim mandat fi-
lium audiri & honorari, atq;
adeo amari, ac proinde cum a-
morem nostrum in Christo
Deo & homine defigimus, hæc
Patris promissionem ipsi fa-
ctam adimplemus; Quare ni-
hil potest esse gratius Patri
quàm si honorificetur & ame-
tur filius, sicut honorificatur
& amatur ipse Pater. sicut e-
nim Pater amat Filium eodẽ
amore quo se diligit, ita vult
nos eundem Filium diligere,

non

non secus atq; diligimus Pa-
 trem; ideoque eum in mun-
 dum misit, suamque ei aucto-
 ritatem dedit, vt omnium ho-
 minum amorem in se effica-
 cissimè prouocaret. Sic enim
 ait, Neque enim Pater iudicat
 quenquam, sed omne iudi-
 cium dedit Filio vt omnes ho-
 norificent filium sicut hono-
 rificant Patrem, & proinde
 ament Filium sicut amant &
 Patrem, honor enim hic nul-
 lus est sine amore, cùm ve-
 rus Dei cultus per chari-
 tatem perficia-
 tur.

Ioan. 15.

* *
 *
 *

B Christus

CHRISTVS DEVS ET HOMO
diligendus est tum ob exemplum Pa-
tris, tum propter beneficia ab
ipso nobis colla-

ta.

CAPVT V.

PRÆTER hoc mandatum
quod accepimus à Patre,
vt diligamus filium, innume-
ra nos beneficia quæ ab eo ac-
cepimus ad id obstringunt:
Atque imprimis æternus eius
erga nos amor potenter id vr-
get. Ita enim amauit nos vt
ab æterno decerneret sese in
natura humana exinanire,
pro nobis tum formam serui
accipiendo, tum in ea patien-
do liberè extrema ad crucem
vsque suamque sub ea maie-
statem occultando, ac veluti

Phil. 5

perden-

perdendo. Hanc tantam filij
 sui bonitatem Pater æternus
 singulari modo dilexit, & si-
 mul quo modo nos diligere
 deberemus, declaravit. Sic
 enim iste ait, propterea diligit
 me Pater, quia ego animam
 meam pono vt iterum su-
 mam eam, nemo eam tollit à
 me, sed ego pono eam à me i-
 pso, & potestatem habeo ite-
 rum sumendi eam. Diligit
 quidem Deus infinitè suam
 bonitatem siue seipsum, sed
 quo eiusdem bonitatis effe-
 ctus ad extra sunt maiores,
 eo, modo quodam, dili-
 git eam magis: nec æternus
 in filiam amor tantus saltem
 extensivè fuisset, nisi vnitus

Ioan. 10.

naturæ nostræ in ea passus & mortuus ex voluntate patris fuisset. Ergo si Filium suum, vt Deum pariter & hominem, ob tantæ bonitatis liberè in nos effusæ magnitudinem nouo quodam modo diligit Pater, cur nõ homo, eundem Filium Dei & hominem singulari nouoque & ardentiori amore prosequeris? si hæc bonitas tali modo effusa in te ipsius Patris, cui nihil addit, amorẽ nouum prouocat, quo par est affectu te eam prosequi, quæ adeo tibi bona est; imo & bonorum omnium tuorum fons, sic enim factus est redemptor & mediator, & Pater, & rex, & sponsus,

hinc

hinc vitam quę in ipso erat ab
 æterno apud Patrem, vitam
 inquam gratiæ & gloriæ bona
 denique omnia hausisti.

CHRISTVS DEVS ET HOMO
 amandus est, quia id facilius, iucun-
 dius vtiliusque nobis
 est.

C A P V T VI

DENIQUE hic nobis a-
 mor eo commendatior
 esse debet, quo proniori & fa-
 ciliiori cursu in obiectum a-
 deò nobis coniunctum, & fa-
 miliare fertur, eo efficacior
 quo pleniùs & potentiùs vi-
 res omnes nostras & superio-
 res & sensitiuas, ob obiecti
 cognationem & excellentiam
 tantam occupare potest, eò v-

tilior quo maiores fructus potest & solet in nobis producere; talem enim esse nostrum amorem in Deum expediebat valde. Nec vero talis esse poterat, nisi Deus ipse fieret homo, & suam nobis bonitatem quasi palpabilem exhiberet ad amandum. Quare locū hīc habet quod dicebat

Qui non diligit fratrem suū quem videt, Deum quem nō videt quomodo potest diligere? Qui enim Christum Dominum fratrem nostrum, amabilissimum, nostri que amantissimum quem videt, quem audit, quem tangit, nō diligit; quomodo poterit Deum diligere, & contra qui

Ioh. 7

1. c. 4.

talem

talem, fratrem diligit prout debet, quomodo Deum non diliget? Itaque hæc omnibus præsertim incipientibus tenenda via est, vt per Christū intrent, ipse enim est via, veritas & vita; via inquam vera & viuifica, ipse ostium est per quod si quis introierit saluabitur & pascua inueniet, sed de fructibus huius amoris Christi Dei & hominis, postea agendum erit. Nunc paulò fusius expendamus sanctissimæ Christi humanitatis doctes, vt quàm iure ac merito noster in eum amor Dei Patris præcepto & exemplo exigatur intelligamus.

CHRISTVS DEVS ET HO-
mo ob perfectiones externas
diligendus.

CAPVT VII.

FECIT æternus Pater hu-
manitatem filij sui opus
omnium præstantissimum,
dignum se authore, dignum
inhabitantis Verbi domici-
lium, quod sine dubio effica-
cius coelis ipsis. i. Angelis no-
bilissimis mundi totius crea-
turis: Dei gloriam ac maiesta-
tem enarraret. In sole, inquit
propheta, posuit tabernacu-
lum suum, Christus in huma-
nitate, sponsus in thalamo
nuptiali, Rex Regum, & Do-
minus Dominantiũ in thro-
no sua maiestate nõ indigno.

Psal. 18

Et

Et sanè oportebat eam personam cuius diligendæ ac colendæ, tam graue hominibus præceptum à Patre imponebatur, in ea sua natura quæ per nostros oculos sola præcipuè incogitationem incurrebat, tot esse exterius illustratam donis, tot interius insignitam virtutibus, vt & sensus & intellectum in sui captos admiratione vel inuitos raperet ad amorem, vt non externa solum præcepti admonitione, sed naturali quoque voluntatum propensione in eam amandam incitaremur, cuius tot essent corporis animique dotes cum nostra singulari delectatione atq; vtilitate con-

B 5 iunctæ.

iunctæ. Colligam hîc breui-
 ter in vnum fasciculum, &
 sub nomine diuinæ Christi
 conuersationis, complectar
 quicquid in eius humanitate
 se in oculos hominum atque
 conspectum dabat. quain re
 parum mihi esse videretur, si
 dicerem non habet amaritu-
 dinem conuictus eius, nec
 tædium, conuersatio illius,
 nisi etiam omni morum sua-
 uitate atque honestate condi-
 retur. Primum sese obijcit
 species illa ac pulchritudo cor-
 poris eximia quidem & viri-
 lis, & diuini Verbi personam
 haud dedecens, carens omni
 mollitie, plena tamen iucun-
 da coloris suauitate, atq; apta

Sap. 8.

*Pulchri-
tudo cor-
poris
Christi
Iesu.*

*D. Tho:
3. p. 9
14. a. 4.*

membro-

membrorum cōformatione,
 quæ naturali quadam cōsecu-
 tione ex sanguinis ac humorū
 perfecta contēperatione atq;
 habitudine efflorescebat, vt
 in diuinum eum vultum non
 immeritò desiderauerint An-
 geli prospicere, speciosum for-
 ma præ filijs hominum, ex cui-
 us solo aspectu piè creditur
 multos ad vitę honestatem ex
 turpitudine, ex ferocitate, ad
 mansuetudinē fuisse reuoca-
 tos. Accedebat sermonis gra-
 tia de qua etiam dicitur, Dif-
 fusa est gratia in labijs tuis, &
 potentia quā tremebant mali
 non minus veritatis quā vir-
 tutis ac Dei hostes. Loqueba-
 tur. n. corū vitā castigās tāquā

1. Pet. 1.

Psal. 44

Apo. 22

Sermo-
 nis gra-
 tia &

vis.
 Psal 44.

Matt. 7.

IOAN. 7
LUC. 4.

potestatem habens, quam mirabantur non prorsus mali, dicentes nunquam sic homo locutus est. De qua etiam dicit beatus Lucas. Et stupebāt in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius, & tali quidem potestate, vt venti & mare, omneque genus infirmitatum, ipsi quoq; immundi spiritus ipsius imperijs dicto citius obedirent, & ex statione, quam sibi in corporibus humanis elegerant, volentes nolentes discedere cogentur, neque modo ex eius verbis, sed ex ipsis vestibus diuina illa virtus sanitarum emanabat, vt plurimos ex earū solo contactu recreari conti-

gerit,

gerit, ex ijs morbis quos vel temporis diuturnitas, vel vehementia doloris omni arte superiores ostendebat. Comprimebāt eum populi, & beatissimum se putabat qui propius ad eum accessisset, obliti aliquando cibi & potus, domuum ac rerum suarum, post aliquot dierum spatium vix se patiebantur ab eius confortio ac societate diuelli. Ibat ad omnes beneficus animarū simul & corporum liberator, ibat omnibus benefaciens, virtus enim de illo exhibat & sanabat omnes; quos verò sanabat, corpore sanabat & mente, vitia simul ex anima, simul morbos è membris fugabat.

Mode-
stia &
grauitas

quid necesse est dicere de corporis animique motibus, in quo nulla vnquam velleuissima capitis oculorumq; conuerſio, niſi cum ratione coniuncta, omnes interni affectus ita cōpoſiti, membra omnia ita rationi obſequentia, vt nihil in eo nō congruū, nihil nō admirabili quadam diuinaq; prudentia cōtemperatum animaduertere cuiq; licuerit. Ita erāt ſenſus eius interni vigilēs, & ratio maſtra quaſi ex ſpecula motus omnes externos prouidebat, vt ne interdormiendum quidem ſe ex vno in aliud latus, ſine ratione animique aduertentia conuerteret. Corporis neceſſita-

tibus

tibus subdita quidem erat
 sanctissima eius anima, sed ijs
 non seruebat, cum nihil in-
 sensibus, nihil in appetitu do-
 minaretur, presto erat rationi
 virtutum omniū famulatus,
 qui perfectissimè motus om-
 nes compecebat, & non ex-
 terna solūm prouidentia, oc-
 casiones omnes turbarum ac
 perturbationis auertebantur,
 sed omnes inter se partes in-
 feriores cum superioribus
 summa pace ac concordia cō-
 sentiebant: Erant verò adeo
 illustres summæ illius huma-
 nitatis virtutes, vt CHRIS-
 TVM bonis amabilem, odio-
 sum improbis, admirabilē o-
 mnibus redderent, verbo dicā

*Virtutū
 omnium
 splendor
 & ma-
 iestas.*

tam

tam sublimes, vt non modo hominum verbis, sed & ipsis Angelorum intelligentijs lōgo sint interuallo superiores, quas quamquam silentio ac pia meditatione venerari magis honorificum sit, quàm vei recensendo minuere, vel extenuare dicendo. Iuuat tamē paucis perstringere earum aliquas quæ & magis clarè patent, & ardentiorē Christi erga nos amorē demonstrant, parq; in nobis erga illum studium ac voluntatem possunt excitare. Eæ autem sunt imprimis excellens adeo in Deū hominesque charitas, vt nec illius imperium, nec horum salutem in acerbissimis doloribus

*Chari.
tas,*

ribus

ribus tam ignominiosæ mor-
tis contempserit, hanc insi-
gnis eius quæ restabat gloria,
spes & religio comitabatur, sed
in internis mentis secretis, vt
plus continebantur. Emine-
bant aliæ atque erumpebant
mirabiliter in tanta potestate
natiuitatis, vitæ & mortis, in
stabulo, in alienis mensis, in i-
psa cruce rerum omnium in-
digentia, in ipsa dignitate Re-
gis, Sacerdotis, Pontificis
modestia & animi demissio
singularis. Erat hominū pro
quibus patiebatur indignitas
summa, furor persecquentium
inenarrabilis, iustitia Dei cul-
pas nostras vindicantis incre-
dibilis, ergo ad tam inauditos

*Spes Re-
ligio.*

*Pauper-
tas.
Humili-
tas.*

*Patien-
tia.*

crucia-

ciatus, carnem delicatissimā,
vitam innocentissimam, tan-
ta patientia, tanto silentio,
tanto etiam ardore obijcere
cuius erat, nisi Dei simul &
hominis? qui nec à diuina vo-
luntate deflectere, nec ab ho-
minum charitate refrigerescere
pœnarum inundatione pos-
set, qui & sua tolerantia liuo-
re & sua dignitate compensa-
re pœnas peccatoribus diui-
na iustitia debitas posset, cui
& carnis infirmitas campum
certaminis, dolor materiam
patientia, mors aduersarios
procrearet, & Diuinitatis
communiõ victoriam, trium-
phum ac coronam omnium
virtutũ ornamentis quasi au-

ro gemmisq; illuminatā con-
 texeret. Veniāt ergo filię Sion, *Cant. 3.*
 animę Christū amantes, & vi-
 deant Regē suum Salomone
 sapientiozem in humanitatis
 diademate, quo coronauit eū
 pater suus, virtutum omniū
 conjunctione redimitū in die
 despōsationis eius, quo dedit
 eū mortalibus non modò fra-
 trem nostrum sugentem vbe- *Cant. 8.*
 ra matris suę, sed quod etiam
 suauius est, sponsum amabi-
 lissimum carnis ac bonorum
 omnium communionē con-
 iunctum. Videant inquam
 tam amplum illum ac mani-
 festum virtutum omnium in
 C H R I S T I humanitate con-
 gestarum cumulum, quo si

non-

nondum interiores eiusdem
humanitatis, & magis recon-
ditas dotes introspicere lice-
at, hoc saltem externo virtu-
tum & perfectionum fulgore
percellantur, & ad eum amā-
dum inflammentur. Quid?
potens heu! nimium potens
ad sui desiderium fallax opum
pulchritudo, potentes sermo-
rum illecebræ ad illaquean-
das ad suam perniciem ani-
mas, potens caducæ dignita-
tis & vanæ doctrinæ æstima-
tio ad inclinanda quamcum-
que in partem iudicia, potens
utilitatis ac turpis quæstus
expectatio, potens etiam (non
raro) prauæ vitæ perditorum-
que morum ad omnem con-

forma-

formationem, & sui similitu-
dinem exemplum. Et ero tam
saxeus & durus, quem tuorū
bone ac dulcissime Iesu non
moueat ac pertrahat ad se
tam solidarum virtutum, tā
integræ innocentiaē deside-
rium, quem tuæ Maiestatis ac
beneficentię magnitudo non
alliciat? quem tuæ pulchritu-
dinis ac doctrinæ suauitas nō
delectet? Tu mihi quæso cæ-
teris in rebus omnibus ama-
ritudinem infunde, vt quæ in
te vno amando est, dulce-

dinem & inueni-
am & conser-
uem.



CHRISTVS

CHRISTVS DOMINVS OB
 perfectiones internas & eximia in
 nos beneficia summè di-
 ligendus.

CAPVT VIII.

Psa. 44.

OMNIS gloria Filia Regis
 ab intus, Prophetice di-
 ctum est de Christi humani-
 tate, vt quamuis externæ illa
 corporis animiq; dotes qui-
 bus vt iam dictum est tam li-
 beraliter ac splendide à Deo
 Verbo sponso suo illa non à
 natura ornata est, sint autem
 veræ ac propria dignitate glo-
 riosissimæ, si tamen cū ijs con-
 ferantur, quæ interiores sunt
 eiusdem humanitatis opes, &
 mortali corpore quasi vase fi-
 ctili inclusæ, tantus erit & tam

admi-

admirabilis interiorum harū
 perfectionum cumulus, vt de
 externarum numero, ac pul-
 chritudine non parum detra-
 here ac minuere videatur.

Magnus certe thesaurus est v-
 nio hypostatica, fundamen-
 tum & perfectio ceterorum o-
 mnium donorum, quæ Chri-
 sti humanitati tāquam orna-
 menta vnionis concessa sunt.

Quid enim maius aut illustri-
 us dici potest quā creatam
 naturam in diuina hypostasi
 subsistere, eiq; substantialiter
 vniri, vnāque cum diuina
 personam efficere, ipsiq; pro-
 inde proprietatum commu-
 nicatione cōuenire, quicquid
 ipsi Deo & vicissim homini

quic-

*Vnio hy-
 postati-
 ca.*

*D. Tho.
 3 p. q. 11
 a. 10. &
 11.*

quicquid Deo conuenit, nempe infinitatem, paruitatem, eternitatem, infantiam. Cùm sapientia, bonitate, sanctitate & omnipotentia diuina, naturam ex se imbecillam, ignorantiam & peccatis obnoxiam, indissolubili modo conciliare; quantæ, Deus immortalis, & quàm admirabilis dignitatis! Hanc vnionis dignitatem aliæ dotes consequuntur, inter quas primum sese offerunt mirabiles illi thesauri scientiæ ac sapientiæ Dei, quos ait Apostolus, omnes in ea suauissima humanitate esse à Deo Patre reconditos, nonne magnus thesaurus est visio beatifica, qua supra quam cre-

di aut

*Scientiæ
plenius
do.
Coloff. 2.*

*D. Tho.
3 p. 9. 9.
& se-
quent.*

di aut cogitari potest, coepit a
nima vnita Deo, Deum per
humanitatem, nouo modo
possidere, tum vt ipse Chri-
stus primogenitus in multis
fratribus, paternam primus
hæreditatem multis sibi titu-
lis debitam adiret, & eius no-
bis consequendæ vim & cer-
titudinem confirmaret, tum
vt eorum secretorum quæ in *Toan. i*
ea diuinitatis contemplatio-
ne hauriebat conscios nos &
participes redderet; decebat
enim vnigenitum, quam in
nos effunderet, gratiæ, & ve-
ritatis plenitudinem in sinu
Patris, quasi in fonte quasi in
Sole percipere. Se igitur Deus
illi beatæ menti contemplan-

C dum

dum cum omnibus suis perfectionibus diuinis concessit, suamque illi totam scientiam communicauit quantum quidem creatura eius esse capax potuit, sic, ut nihil ignoraret de rebus naturalibus ac supernaturalibus, de presentibus praeteritis aut futuris, siue quae re ipsa extiturae sunt, siue quas diuina potentia potest facere, haec inquam omnia sanctissima anima videt, vel in ipsa Dei contemplatione, vel in rebus ipsis creatis, infusa supernaturalium cognitione, acquisita naturalium; communicauit enim ei Pater Trinitatis atque incarnationis, Eucharistiae, ca-

teraq;

IESV CHRISTI. SI

teraque fidei mysteria omnia; dedit inuestigare secreta cordium, profunda cogitationum, & inexplicabiles latebras conscientiarum; dedit pernosse temporum cursus ac mutationes, nostrarum etiam non modò operationũ, sed etiam cogitationum in omnibus Angelis & hominibus tota æternitate futurarũ numerum. Et verò oportebat à Deo Patre constitutum totius humani generis caput, & hominem propter quem omnia sunt, cætera omnia perfectissimè cognoscere, & ipsa Angelorum obsequia ad eorum ministeriũ destinare, qui hæreditatem capiunt salutis, *id Heb.*

C 2

ipsum

Ad Heb ipsum salutis illius auctorem
ac gubernatorem, IESVM
CHRISTVM. Oportebat eum
à quo solo hominibus omnis
bonę voluntatis atque opera-
tionis initium, progressus ac
finis pendet penitissimos cor-
dis atq; intelligentiarum re-
cessus penetrare, & ea omnia
intelligere quibus cordis du-
rities emolliri, peruersitas fle-
cti posset. oportebat eum qui
solus hominibus salutis occa-
siones procurat, nosse motus
cœlorum, ingenia regionum,
habitudines corporum, quò
si quid in eis perniciem nobis
moliretur auerteret, si quid
vitæ honestatem & actionum
laudem cõciliaret, accerferet.

Hac

Hac tu præditus scientia bone
 IESV, tã sæpe me ab ijs laqueis
 in quos me vel scientem mea
 peruersitas, vel nescientem i-
 gnoratio inducebat tua in me
 charitate liberaſti. Hac tu præ-
 ditus scientia ſi mihi quando-
 que mortis periculũ, vel ſua-
 ſor, vel locus, vel tempus, vel
 conſenſus creauit, tu mihi me-
 dicinam feciſti, vt reuiuifce-
 rem mortuus, vel ne morerer
 ægrotus, vel etiam priuſquam
 ægrotarem. Tam sæpe Patri
 dixiſti auerte Pater à faucibus
 inferni, auerte hunc famu-
 lum meum quem eò naturæ
 impetus & nata in malum
 propenſio præcipitat. Rege il-
 lum tibi, ſerua tibi illum, ſi a-

*Merita.**D. Tho.**3. p. 9.**19. a. 3.*

adeſt ſuaſor, non deeſt locus,
non deeſt tempus, ne conſenti-
at grauitè terre. Agnoſce a-
nima mea gratiam eius cui
debes, & quod non admidiſti
malum & bonum quodcun-
que feciſti; pro te rogauit Fi-
lius vt impetraret etiam ani-
mam bonam cogitationem
& tentationis victoriam, &
Heb. 5. exauditus eſt pro reuerentia
ſua; ei tu omnia deputare de-
bes, & peccata quæ dimidiſti
admiſſa, & quæ, ne commit-
terentur, impediuit, & hic
tuorum eſt Chriſte theſaurus
meritorum, hic tuæ fructus
paſſionis, dolorum compen-
ſatio, laborum merces, certa-
minum corona, mortis præ-
mium

mium, vt & relinquerent impij nequitiam, & pij iustitiam sectarentur. Quid ex te miser homo habebas præter mendacium & peccatum? Quid ad boni amorem, ad mali fugam poterant adeo ex se infirmæ peccato penitus extinctæ voluntatis atq; arbitrijtui vires? quis te alius præter hunc Redemptorem tuum de morte quam tibi cõsciueras liberaasset? An Angeli? at in ijs reperit prauitatem. An homo? at mendaces Filij hominum in stateris; hominẽ peccata, quãlibet aliam creaturam innata paupertas & indigentia prohibeat ab exhibenda Deo creditorum delictorum congrua

1oh. 4.

psa. 62.

solutione, quam neq; pro se
reus sine gratuita cōdonatio-
ne, neq; alius pro ipso cū equa-
litate præstare poterat solus
homo-Deus, qui & nihil quod
remitteretur contraxerat, nec
à quo, quod offerebat, posset
recusari; tantus erat tamque
infinite actuum CHRISTI
valor, vt maior vllus aut ma-
gis infinite esse nō possit; Tā-
tum meritum ac dignitas v-
nius brevis orationis, lachry-
mulæ, aut guttæ sanguinis,
somnia etiam aut commestio-
nis, vt nullum ei par præmiū
à Deo Patre reddi possit, non
etiam mille mundorum post
lapsum reparatio: quia si vel
pro damnatis omnibus & de-

moni-

monibus redimēdis esset ob-
 lata quælibet CHRISTI actio,
 non modo illi hæc eorum re-
 conciliatio cum Deo, sed &
 aliud quod volueris præmiū
 deberetur; potuit inquam,
 hoc solus HOMO-DEVS CHRI-
 STVS IESVS, & verò voluit,
 longè etiam plus quā debuit,
 aut necesse fuit. Mori voluit
 benignissimus Dei Filius, vt
 tuam cæcitatem illuminaret,
 infirmitatem roboraret, abie-
 ctionem erigeret, tepidita-
 tem foueret. Præceptum pro
 te mortis à Patre impositum
 Filius Patris amantissimus li-
 bentissimè sustinuit, Pater Fi-
 lij preces pro redimendis pec-
 catoribus, pro iustorum pijs

JOAN. 10.
 Psal. 85
 Rom. 8.

operibus audiuit, Filius vulnera, sputa, plagas & mortem Patri obtulit, nostrę libertatis pretium, debitorum solutionem, gratię ac glorię, operum & mercedis meritum, quia Patrem diligebat cui placere videbar salutem perditorum, vitam mortuorum, petit simul à Patre ut suscitati vitam habeant & abundantius habeant. Nihil recusat Pater Filio cum respicit in faciem Christi sui, dedit illum hominibus & cum illo dedit omnia. Caput Filium Pater preposuit Ecclesię suę membris omnibus, per quem salutis motus omnes ac sensus infunderentur, quod ab vno &

trium.

triumphans in coelis gloriam, & in terris militans auxilium consequerentur. Dispensatorem fecit eum bonorum & thesaurorum suorum Pater, per eius manus omnia in homines bona diuina conferuntur, vt homines & tantopere diligenti amorem, & tanta bona conferenti gratias refundere. Erat in terra fames coelestium bonorum, praefecit horreis suis Rex Regum & DOMINVS Dominantium prouidentissimum fratrem nostrum, vt nobis frumenta largiretur, sed eum honore regio coli, mundi; Saluatorem haberi mandat; quid vero conuenientius

Genes.

40. &

41.

Gen. 37

quàm vt eius manipulum nostri adorent, id est fructus laborum nostrorum ex eius operibus suum omne meritum cognoscat esse desumptum, eius lumini nostræ stellæ, id est lucis opera deseruiant, quorum coram omni genu incuruatur, quem etiam Pater introducens in orbem terrarum iubet Angelos venerari, cui Sancti omnes ac beati homines, sole etiam ac luna splendore gloriæ lucidiores, suas omnes diuitias atque felicitatem cum humili veneratione referunt acceptas. Ad nihilum deciderat genus humanum per peccatum, in Filio Pater creauit nos in operibus bo-

nis.

nis. Patris maledictionem in- *Ephes. 2.*
 obediens terra nostra incur-
 rerat, in Filio Pater benedi-
 xit nos in omni benedictione
 spiritali. Indignus certe erat
 seruus hac benedictione, qui
 domini præceptum violaue-
 rat, at dignissimus erat Filius
 qui vitam maluit quam obe- *Phil. 2.*
 dientiam perdere, paternas i-
 ras placavit innocentissimus
 Filius, seruique formam in- *Sancti-*
 duens sese Patris furori oppo- *tas.*
 suit, obtulit Sanctus Ponti-
 fex reconciliationis hostiam
 pro peccatoribus, & sacrifi-
 cij suauitatem odoratus Pa-
 ter, pacis æternæ pactum cum *Heb. 10.*
 hominibus sanciuit, & filij
 sanctitati peccatorum iniu-

*Psal. 47.**Heb. 1.**Naz. 0**rat. 42.**D. Tho.**3 p. 9. 7.**a. 10.*

stitiam condonauit. Et verò
 in hunc finem vt diligeret fi-
 lius iustitiam, & odisset iniqui-
 tatem vnctus est à Patre oleo
 exultationis, oleo sanctitatis
 increatæ ipsius diuinitatis;
 quæ sanctis essentialis est, & ea
 infinita. Illa enim ideo intimè
 & essentialiter Christi huma-
 nitatem, cui cõiuncta est, per-
 uadit ac penetrat, totam ip-
 sam & omnes eius actiones
 imbuit, vt inter Dei atq; illius
 humanitatis sanctitatem ni-
 hil aliud intersit, quam quod
 Deus ex se, humanitas ex Deo
 sanctitatem illam habeat. Ve-
 rè itaque Christum Domi-
 num, Sanctum Sanctorum,
 hunc nostrum Pontificẽ no-

mina-

minare possumus, qui præter
 sanctitatem creatam, & habi-
 tum infusum gratiæ, qua nos
 per adoptionē filij Dei nomi-
 namur & sumus, ipsius Dei
 sanctitate, perfusus est, & velus
 ti igne diuinitatis ignitus, in
 eo nobilior cæteris Dei filijs
 effect⁹, quod alij per adoptio-
 nem dūtaxat, Christus etiam
 qua homo est per naturā Dei
 filius constituatur; quod alio-
 rum sanctitas atque operum
 in ea fundatus valor, exiguis
 quibusdam terminis circum-
 scriptus, ei soli qui meretur
 æquale merito præmium
 promeretur, & Christi pro
 omnibus, & præmium quan-
 tumcumque; quod aliorum

I. Ioa. 3.

*Cirillus
 c. I. in I.
 sayam
 S. Tho.*

*3. p. 9.
 23.*

sancti-

Heb. 7.

sanctitas dignitatem ad poenas aliquas, & dedecus patitur, leues maculas non eluat, grauibus intereat, Christi autem infinita & infinitæ gloriæ honorisque digna sit, omnem maculam deleat, à nulla foedari possit. Talis enim decebat vt esset noster Pontifex sanctus, innocēs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, semper viuit ad interpellandum pro nobis, sempiternumq; habet sacerdotium, saluare in perpetuum potest

acce-

accedentes per semetipsum
ad Deum. Hæc tuæ sanctitatis
est dignitas qua tu nobis ac-
cessum ad Deum, & vitæ san-
ctitatem diues meritis redē-
ptor tui sanguinis prodigus
acquiuisisti. Neq; enim tantū
Pater precium recusare pote-
rat, aut captiuos non liberare
victus obedientia filij, victus
pretij magnitudine, victus a-
bundantia charitatis. Nouam
tui mihi quæso IESV Salua-
tor adiunge gratiam, vt his ijs-
dem quibus Patrem vicisti,
vincas & rebellem amorem
meum; fac me viuum mem-
brum tui capitis; viuum ego
iam non ego, viuas verò in me *Gal. 2.*
Christe, in me opereris, in me

hono-

honoraris, & regnes, atq; adeo
vt quemadmodū humana in
te natura Deo naturaliter v-
nita est, tu me per tuam gra-
tiam tam arctè tibi adiungas,
vt ne vel ipsa morte à tua cha-
ritate seiungar; sicut summe
beata est, tu me quoque spe fu-
turæ beatitudinis in tui amo-
re consolaris: vt scientiarum
omnium potitur, tu me scien-
tia sanctorum, tui crucis & a-
moris tui imbuas; vt merito-
rum dignitate mihi redem-
ptionis gratiam es promeri-
tus, vitæ bonæ ac charitatis i-
nitia, gradus ac perseueran-
tiam concedas: vt sanctitate
diuinitatis ipsius absolutaque
impeccabilitate, ac naturalis

Dei

Dei filiationis titulo insignitur, ita metu per adoptionis gratiam, in tuorum numerum filiorum adscriptū à peccatis quantū fieri poterit immunem, dignum amore tuo, diuitem amore tui, & sperantem & expirantem conserues, Amen.

IN QVO CONSISTAT HIC

Christi amor & quod bonum Christo velle & procurare possimus.

C A P V T IX.

DEBEMVS ergo omni iure hunc amoris affectum Christo Domino Deo & homini, sed qualis esse ille debeat, & in quo cōsistat iam videndum est. Amare nihil aliud est quam bonum velle, Christū

ergo

*Iesu
Christo
possu-
mus in-
trinseca
bona gra-
tulari.*

ergo Deum & hominem ama-
re, est aliquod ei bonum vel-
le. Duplex porro bonum est
quod ei velle possumus, pri-
mū est intrinsecū & quod iam
habet, hoc ei ita velle non pos-
sumus, quasi accedere aliquo
inde queat. Quare hæc volū-
tas quoad hoc bonum non
potest esse efficax, sed est dum-
taxat velleitas quæ dā vel com-
placentia, gaudiumue de om-
ni eo bono, quod in illo est
scimus vt est Deus homo, quod
enim verè Christum amat
gaudet delectaturque quo
in effabilis Dei bonitas, ita
in humanitate illa resplēdet
& possideat ipse Deus homo
Christus Iesus, tam inæstimabile

bile

bilem in nostra vtilitate ma-
iestatem & gloriam. Aliud bo-
num quod Christo velle pos-
sumus extrinsecum est, & in
ea gloria consistit, quæ ei de-
betur, quam proinde non illi
velle tantum, sed etiam pro-
curare & possumus & debem⁹.
Et quidem à nobis inchoare
primùm par est, vt quàm ma-
xima poterit fidei eius gloria
à nobis dimanet; deinde circa
alios laborandum est.

Ante omnia igitur eius co-
gnitio quàm distinctissima
acquirenda est. Nam gloria
essentialiter notitiam claram
includit. Et certè magna est
CHRISTO gloria, quod verus
Deus & homo, author & con-

*Gloria
eius est,
primo si
à nobis
cognos-
catur.*

summa

summa-

summator salutis nostræ cognoscatur. Hæc est enim, inquit, ipse vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hanc Christi scientiam vbiq; prædicat Apostolus, & commendat efficacissimè passim. Est enim fundamentum non tantum omnis in Christum pietatis, sed & salutis nostræ & in ea posita est maxima pars claritatis illius quam Pater filio suo promisit cum diceret, & clarificaui & iterum clarificabo. Quare agit gratias Deus Paulus Deo pro Corinthiis qui in omnibus diuites facti estis inquit in illo. In omni verbo, & in omni scientia;

Ioan. 17.

1. Cor. 1

1. Cor. 2.

*Ephes.
capit. 1.*

quam

quam scientiam vt extolleret
alibi ait; non enim iudicaui
me scire aliquid inter vos, ni-
si Iesum & hunc crucifixum:
& ad Ephesios scribens, non
cesso gratias agens pro vobis,
memoriam vestri faciens in
orationibus meis, vt DEVS
Domini nostri IESV CHRISTI,
Pater gloriæ det vobis Spiri-
tum sapientiæ & reuelationis,
in agnitione eius; illumina-
tos oculos cordis vestri, vt sci-
atis quæ sit spes vocationis e-
ius, & quæ diuitiæ gloriæ hæ-
reditatis eius in Sanctis, & quæ
sit supereminens magnitudo
virtutis eius in nos, qui credi-
mus secundum operationem
potentiæ virtutis eius, quam

opera-

operatus est in Christo susci-
tans illum à mortuis. Hanc
eandem Christi notitiam per-
fectam, sine omnibus men-
suris idem optabat iterum ijs-
dem habitare Christum per
fidem in cordibus vestris, vt
possitis comprehendere cum
omnibus sanctis quæ sit lon-
gitudò, latitudo, sublimitas &
profundum, scire etiã super-
eminentem scientiæ charita-
tem Christi, idque vt implea-
mini in omnem plenitudinẽ
Dei; nam ex hac Christi noti-
tia, solida quædam superna-
turalium actuum plenitudo
subintrat in intellectum & vo-
luntatem nostram ad Christi
gloriam: ex ea enim notitia

*2. cum in
eo confi-
dimus.*

dima-

dimanant fiducia in eo in quo
 videmus nobis tam abundan-
 tem redemptionem repositā,
 & cuius bonitatem a deo be-
 neficam experimur: Inde re-
 sultat amor, gaudium & dele-
 ctatio non tantum de iis bo-
 nis quæ in eo nobis reposita
 sunt: sed quia is qui nostrum
 caput est, & rex & Pater, & fra-
 ter, & redemptor tanta in se
 bona possidet. Quæ delecta-
 tio licet nihil illi intrinsecè
 addat, est tamen magna eius
 gloria, quod in tanta eius bo-
 nitate & æstimanda, & aman-
 da voluntas nostra quiescat.
 Atq; omnes hi actus mirabi-
 liter elucet, & suauissimè in-
 tellectum & voluntatem affi-

3. cum
 eū ama-
 mus, &
 de eius
 bonis
 gaude-
 mus.

4. quam
 cum eo
 ut consi-
 stit fami-
 liariter
 versa-
 mur.

D ciunt,

*In Oras
tore,
in me-
diatore
vite e-
ius.*

ciunt adeoque Christum glo-
rificant, cum quantum possu-
mus conamur cum illo fami-
liariter versari, de illo, eiusque
maiestate, excellentia, amore,
beneficijs, dictis, factis cogi-
tare & meditari, & ideò cor-
poralem eius præsentiam fre-
quenter habemus ante ocu-
los, vt eum intueri continuo,
& facilius colloqui nostras a-
perire necessitates, amoris de-
nique brachijs stringere eum
possimus. Nec verò difficile
est eum è cælo nos intuentem
contemplari assidue. Inde e-
nim nos videt, inde nos audit,
inde nobis opitulatur, inde
nos amat, perinde atque si a-
desset vicinus. Hæc verò sua

uius

uius aliquanto in Sanctissimo Sacramento potest vsurpari siue eo vtamur, siue praesentes ei adsimus, in eo enim praesens ipse est, vt fides docet, qui videt nos, nos audit, nobis prouidet, nos diligit, consolatur, erigit, animat, & erudit. Quoad vsum verò attinet, si modò nostris partibus non desimus, hic vnus est ex potissimis eius fructibus, vt cordi nostro quendam veluti sensum corporalis suę praesentiae imprimat, & nō secus atq; fragrantissimum odorē sui relinquat, quo, etsi nō appareat, admonemur tamen non procul à nobis abesse. Atq; de hoc nascitur eiusdem imitatio,

*In Eu-
charis-
tia.*

*5. Cum
eū imi-
tamur.*

& quædam veluti Christi similitudo, quæ ut Christo prototypo valde gloriosa est, cum aptè illum repræsentat, ita alios omnes mirum in modum ad eandem Christi formam inuitat; nam hæc Christi Domini gloria & claritas, non in nobis tantum manet, sed suapte indole radij solis illius iustitiæ à nobis in alios dimanant, ut eum etiam in illorum animis per cognitionem, fiduciam in eo, amorem & imitationem forment: hoc verbis, hoc exemplis, hoc orationibus, etsi aliquando non aduertamus, efficitur. quanto verò magis cum studio nos ad illam tam pijs Redemptoris

*s. Cum
conamur
efficere
ut alij*

gloria

gloriæ procurationem applicamus: quod studium quàm ardens fuerit in nonnullis sanctis, docet passim eorum historia. Et certe exiguus est ille amor qui quod bonum amat, desiderat, & procurat, illud totum intra angustias sui pectoris concludit; spargenda est, quantum vires & vocatio, Deique voluntas fert, Christi gloria, cognitio, & amor, quaquaversum in extremos orbis fines, & si occasio se det, ex quinque etiam plagis, imò innumeris ab intimo pectore prodire id desiderium, & in alios effundi de-

bet.

†

D 3

Quan-

*eum co-
gnoscant
& amēt.*

QVANTA ESSE DEBEAT PERFECTIO æstimatoria amoris Christi Domini.

CAPVT X.

HOc enim bonum glorie Christo Domino velle nos par est perfectissimo amore: est autem duplex amoris perfectio. Vna accidentalis est, quæ in vehementia & intentione amoris. Altera est substantialis, quæ in pretio & estimatione rei amate consistit, nimirum, quando id quod amamus pluris quam quidlibet aliud æstimamus; & bonum quo dignum est, & quod illi volumus pluris facimus quam quoduis aliud bonum; adeo ut quoduis bonum nostrum perdere, quam vel minimum

*Amor
æstimatorius.*

bonum

bonū eius diminui præoptemus. Quare hæc perfectio includit comparationem tam inter bonitatem rei amatae & aliarum rerum, quam inter bonum quod illi volumus, & cetera bona omnia necessariò includit, & quidem cum Christus Dominus verus Deus sit, infinita eius bonitas, infinita quodammodo estimatione & amore digna est; quæ non modo non ex unione cum natura humana, & assumptione nostræ infirmitatis & vilitatis, miseriarūq; , ac tandē mortis perpeffione minuitur, sed cōtra valde splēdescit, vt inde nobis quodāmodo pretiosior efficiatur, sic. n. cōmēdat nobis

*æstima
tio boni
tatis Dei
in Chrō.
stoma
ior.*

Rom. 5.

charitatem suam Deus, quia cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Est certè quod Patris dignitatem magni faciat filius, vel inde solum quia pater est, sed tamen longè pluris æstimare illam debet, si occasione sui periculi, parentem omnibus abiectis, paupertatem ferre & exilium & labores, doloresq; innumeros, & infamiã, mortem deniq; subire videat. Latet in diuino pectore, & in profunda essentiæ eius abyssu bonitatis eius immensitas, & diuitiæ, thesaurique, atque viscera misericordiæ, pietatis, benignitatis; nec adhuc poterat homo extot Dei operi-

Rom. 8.

Psal. 5.

bus

bus ad illam satis æstimandā,
& amandam penetrare. Ergo
Deus vt illam quanti æstimet
ostenderet, filium suum misit
in mundum, factaq; compa-
ratione inter vtilitatem natu-
ræ nostræ, labores doloresq;,
opprobria extrema, & con-
temptū maiori bonitatis suæ
gloria illum ipsum filium suū,
atque adeo illam ipsam suam
bonitatem, stupendo confi-
lio coniunxit pannis, pauper-
tati, laboribus, ærumnis, do-
loribus, fami, siti, defatigatio-
ni, contumelijs, opprobrijs,
morti denique & cruci, nec
coniunxit tantū, sed etiam
subiecit, non vt vilesceret no-
bis pretium eius, sed contra,

D 5 quæ

quæ prius erat inæstimabilis
eius bonitas, his aucta & per-
specta iniurijs pretiosioreua-
deret, vt quanti eam æstimare
debeamus palam fieret. Nam
hinc facilè intelligim⁹; in quo
hæc æstimatio summa amoris
quem Deo debemus cōsistat,
nimirum vt nihil omnino illi
præponamus, non diuitias,
non famam, non vitam ipsam
cum Christus Dominus ea o-
nia suæ infinitæ bonitatis glo-
riæ nostro amori, & saluti post-
posuerit, & illustræ bonitatis
suæ diuinæ signū in tanta no-
stra vtilitate & malis erexerit,
in quod amoris nostri sagit-
tas, toto impetu, toto conatu,
tota æstimatione conijcere-
mus,

mus, vt quantum fieri potest
tantæ bonitati, æstimatio no-
stra apte respondeat.

VNDE PENDEAT PERFECTIO
æstimatoria, & duplex eius
modus?

CAPVT XL.

Pendet tota hæc perfectio
ex apprehensione rei ama-
tæ, ea enim mutata mutatur
necessariò æstimatio, ac pro-
inde hæc substantialis perfe-
ctio: Quare vix credi potest
quã necessaria sit cognitio Dei
& Christi, rerumq; diuinarũ,
vt dignam de ijs æstimationẽ
concipere, & ita perfectè ama-
re possimus, vt conuenit, &
quia in varijs varia est tum co-
gnitio Christi, tum æstimatio,

D 6 ideo

ideo non vnus est modus perfectionis huius substantialis.

*æstima-
tiua a-
moris
perfectio
ad salu-
tem ne-
cessari*

Nam quædam æstimatio præcisè necessaria est ad actus huius amoris substantiam, sine qua consistere nullo modo potest. hæc verò in eo posita est, quod Christum eiusq; bonitatem, ac proinde gloriam, & amicitiam tanti faciamus, vt pro nullo alio bono eam perdere velimus, & malum quo ea tollitur tantum æstimemus, vt nullum omnino malum sit aliud quod nõ potius præ illo eligamus. Hoc enim qui nõ habet, verè Christum diligere non potest: Hæc à nobis petebat cùm Apostolis diceret, qui amat animam

suam

suam plus quam me, non est
 me dignus, & qui amat animā
 suam perdet eam: qui autem
 odit animam suam propter
 me, in vitam æternam custo-
 dit eam. Et sanè insignis iniu-
 ria Dei bonitati in carne

*Luc. 14.
 Marc. 8.
 Matt. 10.*

Christi nobis cognitæ irroga-
 tur, cūm quid ei ita præponi-
 tur, quasi ipsa nihili fiat, id
 quod fit per peccatum mor-
 tale, quo pretiosissimus Chri-
 sti sanguis abiectissimè con-
 culcatur, omniaque eius me-
 rita, labores, plagæ, dolores,
 & ipsa mors inanis æstimatur,
 præferturq; non modò terra
 cœlo, infernus Paradiso, bre-
 uis voluptas delitijs perpe-
 tuis, sed quod etiam indigni-

D 7 us est,

*Æstima-
tio amo-
ris Chri-
sti perfe-
ctior.*

us est, Christo Barrabas, Dia-
bolus Deo. Atque hæc infima
est amoris æstimatio. Aliave-
rò quædam perfectior est non
per additionē gradus ad gra-
dum, vt fit cūm idem actus
intenditur, sed substantialiter
& entitatiuè, quo nimirum
aucta cognitione excellentiæ,
bonitatis Christi, gloriæq; e-
ius, & amicitia, tanti eum fa-
cimus, eiusq; bonitatem, glo-
riam, & amicitiam, vt pro nul-
lo alio bono velimus non tan-
tūm eam perdere, sed nec mi-
nimam in ea pati iacturā, aut
per vllum erga quamcumque
creaturam, affectum etiam le-
uem ab ea retardari; adeoque
bonum quodlibet creatum,

& nos

& nos ipsos longè postponimus, non tantum ipsi toti amicitiae CHRISTI, sed perfectioni eiusdem, & minimae eius gloriae: & contra malum omne, quod impedire eius perfectionem potest, ita detestamur, ut nullum aliud sit malum, quod non potius optemus ferre. Qui sic amat CHRISTVM, non tantum venialia omnia peccata, quantum patitur fragilitas humana euitat, sed etiam promptè & alacriter, deuoteque opera quaecunque bona ad eius gloriam praestat. Digna est sine dubio pectore Christiano haec aestimatio suae dignitatis; ut non se sinat infra

condi-

conditionem amatorum huius mundi, æstimet se à Deo in altiore ordinem euectū esse, à pretio diuini sanguinis, quo redemptus est, suam nobilitatem perpendat; imo se vilem reputet, qui tam carō constiterit, omnem autem dignitatem & æstimationis magnitudinem in eum solum conferat, à quo tanti est habitus: cernat, cogitet, & loquatūr, colat, respiret, & amet præ omnibus delitijs, honoribus, diuitijs, eum dūtaxat qui pro se debitam humanitati beatitudinem exuit, qui cum stabuli paupertate coelestis aulæ amplitudinem, cum crucis ignominia Angelorum gloriam

riam

riam cum inauditis cruciati-
bus perpetuam felicitatem
commutauit.

PERFECTIO AMORIS CHRISTI

intensua vnde oriatur, & quæ
nam fit.

CAPVT XII.

Hic perfectioni substan-
tiali æstimatiui amoris
accedere solet accidentalis,
nimirum intensio, feruor, a-
lacritas, & deuotio, tum quia
ea est natura amoris actus, vt
per se feruere soleat, nisi im-
pediatur, tum quia Christi
Domini amabilitas, familia-
ritasque, & facilitas præsen-
tiæ eius, ipsa obiecti cognatio
cum natura nostra, sensibili-
ter nos quodammodo efficit,
& ipso veluti sensu intendit

amo-

amorem: dependet enim hæc perfectio non ex cognitione maiori intellectus, sed plerumque ex coniunctione naturali cum re amata, vel eius apprehensione per sensus; nam inde fit, vt voluntas conatur in amando intendat, fortiusque in rem amatam trahatur, sic experimur nos diligere parentes & benefactores, bonaque omnia creata, quæ sub sensus cadunt, & affectum naturalem in parte etiam inferiori commouere solent, quo voluntas directè non tam ad amoris substantialem perfectionem innati, quam accidentalem, quæ tamen ipsa magni est momenti; vn-

de &

de & optari petiq; à Deo potest, est enim donum eius magnum, cum occasionem præbeat plus illum amandi, & indirectè sæpe æstimatiuum amorem promoueat, vnde videmus fieri non raro, vt quæ sub sensum cadunt bona creata æternis præponamus. Quare, ideò **CHRISTVS DOMINVS** naturam nostram sumpsit, vt hæc etiam perfectio nostro amori non deesset, & sane **SPIRITVS SANCTVS** in diuinis literis satis nobis ostendit, quam id sit facile quando tum multis locis, tum præcipuè in canticis **CHRISTVM** vocat sponsum, *Cant. 8*
fratrem,

fratrem, amicum, patrem, Regem, Ducem, & alijs id generis titulis, quos experimur inter homines valere plurimum ad summam affectus intensiorem amorisque fauorem & familiaritatem. Debeatur hæc amoris excellentia legi amoris. Quare ideo etiam Deus in hac lege longè plures, maioresque huius amoris actus exegit. hinc enim tantus Christianorum ardor in bonis pro Christo contemnendis, in exilijs, in martyrijs, & tormentis sæuissimis perferendis, in defendendis pro Christo ipsis parentibus, quos tanto tamque intenso amore prosequimur, & omnibus bonis creatis nihil

facien-

faciēdis. hic enim est ille verif-
sim^o gladius quo Christus cre-
ata omnia à nostro corde, vt
separaret, in homines misit.

QVOMODO DEVS PATER
Filium suum Christum summe dili-
gendo nos pariter ad diligen-
dum eum prouo-
cet.

CAPVT XIII.

VT meliùs excellentem
hanc amoris **CHRISTI**
formam capiamus, operę pre-
tium est illam contemplari.

In alijs omnium prototy-
pus & exemplar primarium
est Deus ipse pater, cuius a-
mor quo filium suum vnige-
nitum Deum & hominem
prosequitur, est omnino inæ-

stima-

Ioan. 3.

stinabilis, nec vero aptius
 quātus ille sit dici potuit quā
 vt dictum est à S. Ioanne Ba-
 ptista, Pater diligit Filiū, & o-
 mnia dedit illi in manu; nimi-
 rum tanti illum fecit, vt om-
 nia illi sua nouo quodam mo-
 do dederit. Et quidem aeterna
 generatione illi suam natura-
 lem potestatem, sapientiam
 bonitatem, immēsitatem de-
 dit, sed in humanitate hæc o-
 mnia bona sua, mira ratione
 ad nouos quosdam vsus non
 dedit tantum, sed veluti ipsi
 humanitati subiecit, vt quo-
 ties vellet Christus homo De-
 potentiam ad mira faciendā,
 bonitatem ad condonandā
 peccata, & authoritatem ad

iudi.

iudicia exercenda applicaret. Et quod magis mirum est hac ipse pater sua authoritate spoliasse se visus est, vt Christum Dominum filium suum ea ornaret. Nam vt ipsemet Christus ait. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem. Quid igitur mirum est si cætera omnia ei subiecit, etiam Angelos omnes, quibus, cum introduxit primogenitum suum in orbem terrarum, dixit, & adorēt cum omnes Angeli eius, imo & ministrent ei, vt famuli Regi suo solent. Quanta ergo æstimatio amoris huius fuit,

Ioan. 5.

Ad Heb.

quo

quo totam suam aulam Pater filio subiecit, totam ei suam gloriam, maiestatem, excellentiam, potentiam, sapientiam communicauit, vt in toto orbe vna cum Patre æqualiter adoretur, cū antea tota illa gloria vni duntaxat Patri videretur à mūdo deferri. quod si tāti facit & ita diligit Pater Christū, quid boni habes, o homo, quod illi præferas? quod in eius gloriam nō libenter conferas? An corpus, an animam, an doctrinam, potentiam, robur, diuitias, honores? o quā pulchrè Deum Patrem imitaberis, si omnia hæc bona subijcias Christo; & eius gloriæ mancipes, teq; ipse te ipso

quo.

quodammodo spolies, vt bonum aliquod ei cōpares, præsertim cū velis nolis, eius gloriæ seruias necesse sit; ipse enim est finis ad quem omnis mundi creatura à Deo condita est. Est enim primogenitus omnis creaturæ, cuius vel minima gloria pluris DEO est, quàm quicquid creatum est; nam minimæ gloriæ Christi cū bonum quoddam DEI sit, maius bonum est, quàm quoduis bonum. Huic igitur amori volens lubens te subijce, cui Pater te subiecit in illum te refunde, cuius te pater ex vehementi eius amore dedit in manu, & confide quia in manu eius crescet pretium

Ad Coloss. I.

E tuum,

tuum, vt Dei hæreditate dignus, tanquam Dei filius habearis.

De perfectione intensiua amoris quæ in Deo proprie non est sicut est in nobis, nihil dico, quoniam cum natura sua æstimatiua dimanet nihil quid obitet, dubium non est, quin modo eminentissimo in Patre fuerit, nam & in nobis quicquid est intensiõnis, quicquid feruoris ex eo fonte deriuatur necessariò, & participatur.



EXEMPLO B VIRGINIS, ET
S Iosephi, ad Christum Deum &
hominem summè diligen-
dam protoca-
mur.

CAPVT XIV.

H ABEMVS & huius amo-
ris exemplum in beatif-
sima virgine Maria, & sanctif-
simo eius sponso, B. Iosepho,
cùm enim vterque probè sci-
ret Christum non hominem
solùm esse, sed etiam & Deum,
& diuitias eius; virtutes, ad-
mirandaque opera quotidie
contemplaretur, frueretur-
que suauissimo eius aspectu,
colloquio & conuersatione,
non dubium est in illorum
mentibus arfisse continuum

diuini huius amoris incendium, & quo ad æstimationem perfectissimum, & quo ad intensiorem feruentissimum.

Matt. 1.
 & 2.

Ipsa pia & prudens virgo, cum eum tantum concepisset, famæ suæ periculum apud S. Iosephum, & vterque deinde exilium voluntarium, longos labores, & sollicitudines postposuit eius dilectioni.

Luc. 2.

Duo in scriptura argumenta habemus amoris B. Virginis, primum est ei commune cum B. Iosepho, quando duodennem puerum cum in templo remansisset, tanto cum dolore requisivit; quantum enim amabat quæ tam solli-

citè,

citè, tantaque cum mœstitia
requirebat?

Alterum fuit, cùm sui ob-
lita sexus, oblita famæ, & ho-
noris, vitæ etiam si opus fuif-
set prodiga, ipsos inter mili-
tes filio in cruce morienti for-
titanimo adfuit, cum illo pa-
rata mori, & pro illo etiam
millies si ita res tulisset, ante
omnes alios sanctos, & præ a-
lijs omnibus egressa cum filio
extra castra improperiũ cru-
cis eius portans, & hoc ipso fa-
cto suo, quanti eum faceret
satis declarans. Verùm quid
postea egerit, quid passa sit,
quid agere & pati ardentissi-
mè toto vitæ tempore desi-
derauerit ad gloriam filij sui

Ioan. 19.

Heb. 13.

E 3 & filij

& filij DEI amplificandam, quis dicet? maxima fuit cognitio quā de eo habuit iam inde ab initio incarnationis, & cognitioni par æstimatio, quæ vtraque continuis aucta incrementis, in singula momenta sine vlla penè cessatione quantam vim amoris tandem excitauit?

O qui virginem hanc amas, imitare in illa, id quod Deo gratissimum in ea fuit, per quod illi maximè placere queas! Quid enim gratius matri quàm si ita diligas filium, vt ipsa dilexit?



EXEMPLVM S. IOANNIS BA
pistæ ad Christi amorem nos
excitat.

CAPVT XV.

ADDAMVS & lucernam
ardentem diuino hoc i-
gne, lucentemque sanctum
Ioannem Baptistam, qui cum
non esset lux, tamen missus
est à DEO in mundum, vt
testimonium perhiberet de
hoc lumine; cum enim diui-
num illud lumen & vitam,
oculi hominum infirmi non
comprehenderent, sed potius
eius humilitate, paupertateq;
offenderentur, misit DEVS
hunc hominem, mirabiliter
conceptum, mirabiliter na-
tum, mirabili plane vita &

Ioan. 5.
Ioan. 1.

E 4 morte,

morte, vt Christi vitæ, & mor-
ti testimonium præberet, a-
deo vt merito omnes tanti te-
stis conuicti authoritate, &
per eius austeram vitæ ratio-
nem mundique, & omnis fa-
stus contemptum manu du-
cti crederent, & ad præclaris-
simum Incarnati Verbi iubar
& gloriam peruenirent, quod
officium quanto amore, quã-
ta reuerentia & Christi æsti-
matione præstiterit, patet ex
multis locis & varijs occasio-
nibus; quidquid enim habuit
authoritatis, quicquid sancti-
tatis, quicquid apud homines
famæ & æstimationis, id con-
tulit, vt gloriæ Christi gene-
rosè seruiret. Nam postquam

Ioan 1.

Iudæis

Iudæis de Messia interrogantibus, confessus est, non sum ego Christus, medius, inquit, vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Deinde non contentus suos ad eum discipulos destinasse, cum nonnulli conquererentur, quod Christus baptizaret, repetito hoc suo testimonio, non potest homo accipere quicquam, inquit, nisi fuerit ei datum de coelo, ipsi vos mihi testimoniū perhibetis quod dixerit, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet

Ioan. 3.

E s spon-


sponsam, sponsus est, amicus
autem sponsi qui stat & audit
eum, gaudio gaudet propter
vocem sponsi. Hoc ergo gau-
dium meum impletum est.
illum oportet crescere, me
autem minui, qui de sursum
venit super omnes est; vere
amicus sponsi S. Ioannes, ve-
rè amator Christi syncerus,
qui eius gloriam tam fideliter
procurat, qui suo etiam con-
temptu gaudet, quia sic videt
eius honori se servire posse,
gaudio gestit cū se deprimat,
vt eum exaltet, cū se è terra
& esse, & loqui, illum è cælo
esse, & cœlestia afferre docu-
menta; se nihil esse, habere aut
posse; illum verò esse, habere

& pos

& posse omnia palam attestatur.

Tales etiam modò, ô Chri-
ste testes quaris, tales amato-
rès, tales æstimatores, tuæ bo-
nitatis, qui rerum terrena-
rum, mundique totius con-
temptu, & odio præcipuè sui
inignes honoris omnis sui
& vitæ etiam prodigi glorio-
sum opprobrium crucis tuæ
hominibus commendent, &
latentem in vtilitate maiesta-
tem tuam annuntient, vt ab
omnibus & cognoscaris & a-

meris D E V S benedi-
ctus in sæcu-
la.



APOSTOLI ETIAM NO
Christi amorem suo exemplo
docuerunt.

CAPVT XVI.

EST etiam quod & à beatis
Apostolis hinc discamus.
Nam tam diuturna cum Chri-
sto familiarique conuersatio-
ne non potuerunt eum non
cognoscere clariùs quam ca-
teri, ac proinde æstimare & a-
mare, præsertim cum tanto
eos amore prosequeretur, &
singulari fauore sibi adlegisset
socios. Huius amoris signum
fuit, quod vocati sua omnia e-
postposuerunt. Et vero Chri-
stus ipse testis fidelis illis ipsis
testimonium perhibet sæpius.
Pater, inquit, amat vos, quia

Apoc. 1.

Ioan. 16.

vos

vos me amastis, & credidistis
 in me quia à Deo exiui, vt li-
 cet initio amor ille non fuerit
 adeo perfectus, vt qui in hu-
 manitate hærere videbatur,
 postea tamen purgatus est, vn-
 de & dicebant, & si cognoui-
 mus secundùm carnem Chri-
 stũ, sed nunc iã nõ nouimus.
 Quare vbi actum fuit de Chri-
 sti gloria, sese totos impende-
 runt eius procurationi, sua o-
 mnia vitamque suam & vin-
 cula & verbera præ illo nihili
 fecerunt. Ibant enim Apосто-
 li gaudentes à conspectu con-
 ciliij, quia digni habiti essent
 pro nomine Iesu contume-
 liam pati. Nimirum illis in a-
 nimo adhuc corporalis sui

2. Cor. 5.

Act. 5.

IIO DE AMORE

boni magistri præsentia, & amabilitas impressa inhærebat, quem Deum esse & hominem, & regnare cum Patre credebant, & qui spiritu suo ingenti amoris vi eorum corda succendebat.

D. Petrus.

Sed inter omnes Apostolos tres in amore Christi Domini excelluerunt, primus fuit S. Petrus, qui Christi diuinitatem agnouit primus, & primus expresse confessus est, & cæteros ab ipso IESU abeuntes exemplo suo correxit, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Denique magnum vbique feruorem dilectionis erga CHRISTVM ostendit, & tandem à Christo

Matth. 16.

Ioan. 6.

Ioan. 20.

inter-

interrogatus Petrus, amas me? respondit confidenter: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Quare in tā-tā & tam solidā dilectionis signum caput Ecclesiæ Christus Deus & homo, eum sibi Vicarium elegit; utpote vero sinceroq; affectu sibi coniunctissimum; nec enim eum Christus pastorem omnium suo loco fecisset, & totam ei procurationem gloriæ suæ in mundo commisisset, nisi maiorem eius in se amorem esse vidisset, hanc ipse amoris teneritudinem & ardorem erga Christum servasse legitur, adeo ut negationis Christi recordatione compūgeretur, &

perpe-

*D. Ioan
nes.*

perpetuo lacrymas funderet.
Alter fuit S. Ioannes Euan-
gelista, qui ex pectore Domi-
ni ubi recubuit, eam affectus
teneritudinem hausit, quam
tum suis scriptis expressit,
tum in alios effudit. Quare
sicut DOMINVS Petro Ec-
clesiam suam sponsam, sic
S. Ioanni Matrem quâ nihil
charius habuit, commisit in
cruce, & ita eundem in illo a-
morem auxit, cum eum suo
esse loco voluit filium matris
suæ, & nouo quodam modo &
vinculo fratrem suum dilectis-
simum effecit. Non mirum
est ergo si discipulus ille quem
diligebat IESVS, & qui pro-
inde diligebat eum, cum Iesus

Ioan. 19.

dili-

diligentes se diligat, nihil aliud passim quàm IESVM & amorem IESV spirat.

Tertius fuit S. Paulus, qui licet post Christi ascensionem ad Apostolatam vocatus sit, à Christo tamē forte vix vlli in pfectione amoris siue substantiali, siue accidentali cedit, nā postquam placuit Deo reuelare ei filium suum, continuo eius incensus amore non acquieuit carni & sanguini, sed amoris Christi imperio & potestati traditus absorptus plane & transformatus adeò est, vt in Paulo, non iam amplius Paulus, sed Christus ipse videretur & dignosceretur. Subijce oculis mentis totum Pau-

D. Paulus.

Gal. 2.

lum,

lum liquido cognosces, quoniam omnes eius cogitationes, desideria, verba, omniaque studia spectauerint; videbitur nusquam nisi rectè in Christum tetendisse, cuius ardentissimo amore flagrabat, vis scire quam ipse doctrina, & qua re gloriaretur? non, inquit, iudicavi me aliquid scire inter vos, nisi Iesum, & hunc crucifixum; & libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi; virtus inquam crucis, de qua ait, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU CHRISTI, vis intelligere quid inter omnia bona plurimi faceret? existi-

1. Cor. 2

2. Cor.
12.

mo

mo omnia bona detrimentū
 esse propter eminentem scien-
 tiam IESV CHRISTI Do-
 mini nostri, propter quem o-
 mnia detrimentum feci, & ar-
 bitratus sum vt stercora, vt
 Christū lucrificiam, nec tan-
 tum omnia externa, sed & sei-
 ipsum. Nam, non solum alli-
 gari, ait, sed etiam mori para-
 tus sum propter nomen Iesu.
 Denique beatus hic Apосто-
 lus Christi confixus cruci, &
 stigmata eius in corpore suo
 portans, viuebat ipse, iam
 non ipse, viuebat verò in ipso
 Christus, quare & confidenter
 dicebat, quis nos separabit
 à charitate CHRISTI: tribu-
 latio, an angustia? an fames?

Gal. 6.

Philipp.

Act. 21.

Gal. 6.

Gal. 2.

Rom. 8.

an nu-

an nuditas? an periculum? an
persecutio? an gladius? in his
omnibus superamus propter
eum qui dilexit nos, certus
sum enim quia neque mors,
neque vita, neque Angeli, ne-
que principatus, neq; virtu-
tes, neque instantia, neq; fu-
tura, neque fortitudo, neque
altitudo, neque profundum,
neq; creatura alia poterit nos
separare à charitate Dei qua
est in Christo IESU Domino
nostro. Hunc magistrum a-
moris Christi elige, quisquis
seriò in hac schola amo-
ris proficere cu-

pis.

†

MARIA

MARIA, MARTHA ET LAZARUS eundem Christum quomodo diligere debeamus instruunt.

CAPVT XVII.

NEc omittendum est par-
sororum, & frater Laza-
rus qui in Christi Domini a-
more & feruenti, & perfecto
excelluerunt.

Et Maria quidem Domini
IESV celebris amatrix ad bo-
nitatis eius & misericordiæ
promulgandam gloriam im-
pendit, non externa tantum
bona sua, sed seipsum, crines,
oculos, lachrymas, famam e-
tiam & hominum existima-
tionem, cum ad eum, vt gra-
tiæ fontem, & remissionis au-
thorem in conuiuio celebri
venit,

*S. Mag-
dalena.*

Luc. 7.

MARIA

venit, vnde & audiuit; dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. O vera & multa dilectio, quæ sui oblita totum quod habet in dilecti bonum tam largitet, tam integrè effudit, & domum illam totam non magis vnguèti, quam amoris impleuit odore. Quid dicam de Christi morte? quid de sepultura? quid de resurrectione? ac deniq; de tota vita feruentissime huius amatricis Christi, quæ nullo vnquam momento Domini sui memoriam, & corporalem præsentiam quam ipse DOMINVS sæpe ei re ipsa exhibebat, dicitur amisisse.

IOAN. 12

Nec

Nec verò minus forte diligebat Martha Iesum à quo ipsa diligebatur, nam diligebat Iesus & Martham & sororem eius, & Lazarum; de quo duæ sorores, ecce inquirunt quem amas infirmatur. Dilectionis signum fuit quod Dominum saepe recipiebant hospitio, & pro eo affectu Martha sollicita erat & turbabatur erga plurima, vt tanto hospiti pararet dignum conuiuium, idque, quod amorem etiam maiorem declarat, eo tempore quo Iudæi iam conspirauerant in CHRISTVM & decreuerant extra synagogam ferri qui eum confessus fuisset. Quare etiam cogitarunt & Lazarum

S. Mat.
thæw.

Ioan. II.

ibid.

inter-

*Ioan. 9.**Ioan. 52.**Ioan. 11.**Ibid.*

interficere, fidelis certè & verus totius huius sanctæ familiæ in Christum amor, qui & bona & vitam pro ipso negligit, propter què merito Christus illos diligebat: vnde cum suscitaturus Lazarum fletet, dicebant Iudæi; ecce quomodo diligebat eum; est certe valde verisimile, neminem post Apostolos adeo feruenter à CHRISTO esse dilectum, quod colligitur ex eo quod Christus ad gloriam suam manifestandam vsus fuerit præcipuè hac familia, & omnium maximum miraculum circa Lazarum, rogatus à duabus sororibus fecerit. Ideo audita eius infirmitate IESVS ait, In-

firmi-

firmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.

Quæ igitur tam excellenter gloriæ seruiuit Christi, valde verisimile est eum etiam excellenter dilexisse.

Quis mihi dabit ô bone Iesu, ita te diligere, vt tu verè in me, vt in amatore tuo confidas, & non verearis pro gloria tua affligere me prout libuerit morbis, persecutionibus, morte ipsa, vt & tu in me hîc & in æternum glorificeris.

SANCTI ALII CHRISTI DOMINI AMATORES.

CAPVT XVIII.

NON est animus texere catalogum omnium a-

F matorum

matorum Christi IESV: nam
transcribendi sic essent om-
nes sancti, tantum ergo com-
memorandi sunt nonnulli,
qui modo occurrent, in qui-
bus visus est illustrius arsisse
amor IESV.

*B. Igna-
tius Mar-
tyr.*

Talis fuit imprimis Apo-
stolorum discipulus B. Igna-
tius Martyr, quem Nicepho-
rus ait tenellum adhuc puerum
& simplicem, integrumque
sublatum fuisse manibus Sal-
uatoris, & integritatis, simpli-
citatishq; ac innocentia exem-
plar Apostolis exhibitum,
quibus dixit, nisi ei similes fe-
rent, nequaquam illos in regnum
DEI peruenturos esse: vnde
Theophori nomen accepit.

quantus

quantus verò in eius pectore
 Christi amor exarserit, vel in-
 decõstat, quod idcirco valde
 probabile sit vocatum esse I-
 gnatium, quem enim ignem
 Christus venerat mittere in
 terram, hunc suis amplexibus
 iam inde à pueris afflasse B.
 Ignatio visus est, quem ad
 mortem vsq; non fouit tan-
 tum, sed vehementer accen-
 dit. Testes sunt omnes eius
 Epistolæ in quibus mirabilis
 apparet feruor erga CHRIS-
 TUM dilectionis, & ingens
 gloriæ eius propagandæ & am-
 plificandæ studium: Sine Iesu,
 inquit ne respirare quidẽ ali-
 quando velitis, hic enim mea
 spes, mea gloriatio, meæ in-

*In Epist.
ad Eph.*

deficientes diuitiæ, in quod
 Syria Romam vsque hæc vin-
 cula circumfero spirituales
 Margaritas, & alio loco inter
 cætera, ignes (inquit) crux, fe-
 rarum concursus, sectiones
 ossium discriptiones, mem-
 brorum conscissiones, totius
 corporis solutio, Diaboli tor-
 mēta omnia in me desequiant
 tantummodò vt Iesum nan-
 ciscar, nihil me iuuabunt fi-
 nes mundi, nec regna huius
 sæculi, melius est emori pro-
 pter Iesum, quam imperare fi-
 nibus terre; Iesus enim est vita
 fidelium. Ecce quanti cum fa-
 ciebat quem tãto pretio mer-
 cabatur.

Vel cum B. Ignatio dixit,

vel

*Epist. ad
 Romas
 105.*

vel paulo post S. Dionysius,
 verus S. Pauli discipulus &
 imitator, qui alicubi vsurpat
 illud tanquam sibi familiare,
 amor meus crucifixus est: id,
 quod ex S. Ignatio acceperat,
 quanquam etiam id omnibus
 Apostolorum discipulis, atq;
 adeo fidelibus in ore esse sole-
 ret, vt pius ille in CHRISTVM
 affectus initio Ecclesie in om-
 nium cordibus arsisse vehe-
 menter credendum sit.

Omitto Nazianzenum,
 Chrysostrum, Augustinũ,
 Bernardum, Dominicum, &
 alios magno numero, in quo-
 rum vita & operibus interlu-
 cent ardentes quedam faulle
 ad hunc ignem accedendum
 aptissima.

*B. Dio-
 nysius.
 De diui-
 nis nom.*

c. 4.

*Epist. ad
 Rom.*

*Rib. l. 1.
vita. s. 2*

Verum qui nos propius con-
tingit vnum non possum o-
mittere B. Patrem Ignatium,
in quo fuit hic amoris in chri-
stum ardor eximius; concepit
illum cum eius vitam legeret
æger, quem cum diuina boni-
tas continuis sensim auget
incrementis, nō sustinuit mi-
litare cor vrgentis charitatis
Christi vim. Haustus enim
hic ignis disiectis consumptis
que omnium rerum creatu-
rum affectibus tantum in e-
ius anima excitauit incendiū,
vt & societas tota, id est tota
animæ salubriter arserint, &
adhuc in Ecclesia ardeant &
luceant, & in toto mundo re-
frigescentium multorum cha-

ritas

ritas refocillata, recreataque
 & inflammata de nouo fit.
 Nec id subito contigit, sed
 certis progressionibus, vt eò
 diuturnior ardor existeret.
 Nam hausta illa scintilla,
 cum legeret Christi vitam, il-
 lius animum primum expu-
 gnauit, vt mundanas spes ab-
 iiceret, deinde cum fugere è
 mundo compulisset, in Man-
 resæ hospiralem pauperum
 domum, ibi continuis vitæ
 Christi meditationibus & ex-
 ercitijs spiritualibus, quæ tunc
 Deo inspirante & concepit &
 composuit, totam animam
 eius & lux coelestis maior,
 & flamma ardentior, & mo-
 dica illa scintilla peruasit;

Rib. sup
c. 8.

Rib. sup.
c. 13.

Rib. sup.
c. 13.

Rib. l. 2.
vita, c.

4.

vt qui ante pro Christi amore mundum deseruerat, iam etiā seipsum totum desereret, & in eius gloriam consecraret. Impulit illum hic amor, vt peregrinationem in terram sanctā susciperet, vt consecrata Christi conuersatione & præsentiā corporali, loca, pro suo in illū affectu, piē sanctēque veneretur, id quod quanta fecerit deuotione scribit Pater Petrus Ribadeneira & alij. Impulit idē amor, vt studia vir iam 30. annos natus inchoaret, vt aliorum saluti vacaret, tum etiam vt socios sibi adiungeret, non alia quidem arte quā illo ipso Christi amore, quem adeo in se senserat efficacem;

vsus

usus est. Nam quos sibi socios
adsciuit exercitijs spirituali-
bus excultos, in hac petra fir-
missima suæ perfectionis ædi-
ficium, vt ponerent docuit.
Itaque cum societatis institu-
tum moliretur, non aliam i-
deam præ oculis habuit, nisi
Christi vitam, quàm Christi
amor ei continuo repræsen-
tabat. Quare cum sciret & for-
mam instituti à Christi vita
haustam esse, & Christi I E S V
amorem tam in se quàm alijs
omnibus, qui tunc accesser-
ant, & sperabat accessuros
deinceps, primarium esse ar-
tificem tantæ perfectionis,
quantam ipse exoptabat esse
in societate, verus Christi, e-

*Rib. sup.
cap. II.*

iusque gloriæ amator, non alium eius authorem dici voluit quam Christum, non alio eā nomine insigniri, quam societatis Iesu, coelesti præcipuè visione; nihil sibi prorsus in eo opere retinentis, imo verò ardentissimo desiderio sæpe sapius exoptans perpetua apud homines obliuione sepeliri, vt tota in solidum gloria vni Christo cederet, id quod identidem vir humillimus, vt antiquos societatis partes referre memini repetebat, vnde nec mirum est, si tota vita, quicquid susciperet, quicquid vel secum vel cum alijs ageret, proculcata omni gloria qua se indignissimum,

vt &

vt & quouis alio bono reputabat, in eo vnicam CHRISTI Iesu gloriam eamq; maiorem perpetuò ante oculos haberet, sed de forma, & essentia amoris huius satis haftenus. iam de eius efficiente causa agendum est.

HVNC IN NOBIS AMOREM
efficit Deus ipse, Pater, Filius,
& Spiritus Sanctus.

CAPVT XIX.

AUTHOR huius amoris est DEVS ipse & Pater Domini IESV CHRISTI, qui promisit nobis se cum clarificaturum, eiusque gloriam, id est cognitionem & amorem in homines propagaturum, vt omnes ament

*Pater.
Ioan. 12*

F & filium,

filium, sicut & Pater illum amat, ut omnes Dei bonitatem in hominis abiectioe lucidius resplendentem, & firmiter diligant, & amplectantur dulcius & pluris æstiment, sicut & ipse Pater aliquo modo. Est enim hic noster amor aliud nihil, quam Participatio quedam æternæ illius dilectionis, qua Pater Filium prosequitur: ac proinde noster amor ab illa non aliter quam radius à sole dependet. Quare sæpe nobis à Patre luminum petendum est hoc donum perfectum, sæpe rogandus ut nos ad filium, bona in eo nobis reposita cœlesti luce aperiendo trahat, & sæpe imitandus S. Pau-

Ius.

Jacob. 2.

Ioan. 6.

ad Eph.

3.

lus. Huius rei gratia, inquit, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelo, & in terra nominatur, vt det nobis secundum diuitias gloriae suae virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicari & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum; scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

*Spiritus
sanctus.*

IOAN. 15.

Sed & pertinet ad officium Spiritus sancti, ut hunc etiam amorem in nobis efficiat, & id ab ipso iure quodam nostro petere possumus. Nam ideo à Patre & Filio eius CHRISTO Domino missus est, ut gloriae Christi esset quasi procurator in hoc mundo. Sic enim de illo CHRISTVS. Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me. Quod certe internum Spiritus Sancti testimonium consistit in hoc, ut eo adiuuante & inspirante & cognoscamus Christum, & eum prout par est æstime-

mus

mus & amemus, cum nemo
possit dicere Dominus IESVS
nisi in Spiritu Sancto. Quare ^{IOAN. 16.}
alibi, id Christus Dominus
apertius exponit; Ille, inquit,
me clarificabit, quia de meo
accipiet, & annuntiabit vo-
bis. Quid aliud est clarifica-
bit me, quam gloriam meam
& cognitionem, amoremque
passim in hominum animis
diffundet? diuinus enim hic
SPIRITVS cum sit amor Pa-
tris & filij, quando diffun-
dit se in cordibus nostris, fa-
cit vt Patrem & Filium a-
memus, & diuinam in carne
nostra mortali bonitatem su-
pra quam dici potest nostris
mentibus commendat. Igitur

peta

petamus ab illo obnixè internum hoc testimonium, rogemus vt postulet, vel vt postulemus efficiat hunc amorem, & in nobis excitet gemitus inenarrabiles, quibus clamemus Abba Pater.

Filius.

Ioan. 6.

Denique à Christo Domino petendum est vt, quod pro Apostolis tam efficaciter à Patre postulauit, adimpleat in nobis gaudium suum, seque in nobis ipse clarificet, & eius amor in nobis sit, Notum inquit feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis; nimirum vt non tantum eos diligas, sicut me dilexisti, sed ipsi eam intelligentes

quan-

quanta me dilectione sis pro-
secutus, ad me pariter diligen-
dum tuo amore moueantur,
adeo vt, quemadmodum sic
me dilexisti, vt totam mihi
potestatem, authoritatemq;
tradideris, omniaque mihi
subieceris, ita tanti me faciāt,
vt sua omnia & seiplos meo a-
mori subiiciant. Hæc tam iu-
sta Christi oratio fusa pro A-
postolis, quibus iam notum Ioa. 17.
fecerat nomen Patris fusa pro
alijs, quibus notum se factu-
rum pollicetur, nobis nimi-
rū, sine dubio lex audita est à
Patre, & concessa est filio to-
ta dilectionis plenitudo di-
spergenda in homines. Ascen-
dens enim in altum inter cæ-
tera

tera

Cant. i.

tera dona hominibus distri-
buenda non eo tantum tem-
pore, sed ad finem vsq; mun-
di hoc potissimum accepit.
Petamus ergo humiliter, ve-
suum hunc ignem mittat in
corda nostra, vt trahat nos
post se sic, vt in odorem vn-
guentorum eius tanta perfe-
ctione, tanta vi beneficiorum
attracti curramus, introducat
nos in cellam suam vinaria, &
potentissimo amoris sui vino
inebriet, ordinet in nobis cha-
ritatem, suo hoc sigillo ani-
mam nostram obsignet, vt
nulli alteri amori pateat.

locus

†

Nos

NOS IPSOS COOPERARI NE-
 cesse est, & disponere, vt hoc do-
 num obtineamus.

CAPVT XX.

MEDIVM efficacissimum
 ad cœlestes diuini hu-
 ius amoris diuitias comparā-
 das, est oratio humilis & assi-
 dua, qua illum à Patre, Filio,
 & Spiritu Sancto ardentè pe-
 tamus, verum addendum est
 & proprium studium, dispo-
 nendusque est animus, quod
 varijs modis effici potest.

Primū est frequens attētaq;
 cōsideratio & meditatio vitæ
 Christi Domini, eiusq; excel-
 lentia, dignitatis, officiorum,
 & beneficiorum, erga nos.

*i. Me-
 diū, Me-
 ditatio
 vitæ.
 Christi.*

Quare

Quare magnum ad hunc amorem adiuumentum habēt, qui doctrinam de Incarnatione Christi tenent, si eam huc applicent. Nam cum substantia actus amoris pendeat præcipuè à cognitione rei amatae, quo illa plenior erit & distinctior eo etiam fiet plurius, & ardentius amabitur.

Colof. 2.

Ioan. 8.

Sunt certè in Christo absconditi thesauri omnes sapientiae bonitatis & pietatis Dei, quos nisi detegas, nisi penetres, fieri non potest, vt dignam de eo existimationem concipias. Christus Dominus lux est, vitæ lumen diffundit ex se, ergo necesse est omninò illucescat in mentem cognitionis eius

radius,

radius, vt vitam in eam inferat, & motum & ardorem. Tota eius vita sanctissima, actiones, verba, & conuersatio ignem quendam diuinum continet, quæ si singula mente tractes ea diligentia & reuerentia, qua par est, emicabit protinus, & in te immensum incendium excitabit amoris Christi; quod experiuntur qui inde, quotidianæ meditationis materiam depromunt. Ex hoc fonte hunc hauserant ignem fideles in primitiua Ecclesia, cum Christi Domini dicta factaque & conuersatio recenti memoria inter eos conseruaretur, & postea Diuus Augustinus, Bernardus,

Roma.

Bonaventura B.P. Ignatius, &
alij.

2. Euc
charistia
Ms.
sa.

Secundus est deuota sacra-
tissimæ Eucharistiæ perce-
ptio, & sacrosancti Missæ fa-
crificij vel oblatio, vel audi-
tio. In eo enim cordi nostro
immediatè applicatur Chari-
tatis Christi vis, quæ consum-
pta omni rubigine ferreæ etiã
animæ, vt ignescant efficiat,
quomodo enim non redama-
rent ita amantem? quomodo
non in nihilũ etiam se pro illo
redigi exoptarent, quem pro
se exinanitum, & in punctum
veluti in nihilum redactum
recipiunt, & auarum erat cor
humanum amoris sui erga re-
demptorem Christum Iesum

beni-

benignissimum, quem ne negaret, voluit ipsemet Redemptor colliquescere, vt admiffus in abditos recessus tollat inde quod suum est.

Tertius est exercitium corporalis praesentiae Christi, quae & huius amoris fructus est, & eius incentium maximum modo prudenter & discretè suscipiatur. Triplex autem potissimum videtur esse eius modus.

Primus est quo illum ob oculos ponimus, vt in caelo existentem, & sic verissimè praesens est, nosque assidue intuetur, de nobis cogitat, & vt caput nostrum vnitur nobis,

3. Christi praesentiae cogitatio. Eius triplex modus.

1. Vt est in caelis.

nobis, & in nos vitam, & omnia bona quæ habemus suo influxu deriuant. Quæ ratio verissima est, & ideo facilis, nam difficile, non est id concipere animo & imaginatione, quod re ipsa ita se habere constat.

2. Est in
Eucha-
ristia.

Secundus est quo illuminatur in Eucharistia, & presentem corpore, & nos pariter intuētem, & influentem sua dona cogitamus; quod facile admodum est cum vel in templo, vel non ab eo procul versamur; & certè videtur ideo reliquisse in Eucharistia, vt permanēter inter nos habitans nobis continuo ante oculos versaretur. Quare sancti eam semper eius

præsen-

præsentiam appetere solebant
cùm orarent, vt eius amore
faciliùs suam orationem ac-
cenderent.

Tertius modus est, quo
nonnulli Christum in ea for-
ma sibi imaginantur præsen-
tem, quem habuit cùm inter
nos versaretur: nonnunquam
enim cum videre se fingunt
adhuc infantem, cùm nasce-
retur, aut ætate prouectiore
cùm parentibus subditus age-
ret in Nazaret, aut cum Apo-
stolis versantem, facientem
miracula, crucifixum, sepul-
tum, resurgentem: quæ ima-
ginatio si ita Christum repræ-
sentet, quasi eam adhuc for-
mam habeat falsa est, & nisi

3. Vt
olim e-
rat.

G magna.

magna prudentia temperetur
periculosa, multisque illusio-
nibus obnoxia. Si autem rem-
duntaxat præteritam referat,
valde vtiliter præmittitur me-
ditationi, vt melius mysteri-
um propositum retineatur &
intelligatur, faciliorque sit
discursus circa personas ver-
ba & actiones. Sed ea repræ-
sentatio nec esse diuturna,
nec vt ordinarium exercitiū
assumi potest. Quando tamen
aliqua huiusmodi imaginatio
occasione meditationis altius
impressa est menti, & vt sæ-
pe fit, inhæret tenacius per-
seuerantibus præcipuè pijs af-
fectibus in meditatione exci-
tatis, foueri suauius potest,

non

non debet tamen pertinaciter retineri, etſi plurimum mentem afficiat.

Quartò prodeſt etiam valde libenter, & ſæpe legere vel audire ea quæ ad CHRISTI Domini vitam ſpectant. Inde Beatus Pater Ignatius primam huius ignis ſcintillam accepit, vt & multi alij in ſacra ſcriptura S. Ioannis Euan- gelium, & epiſtola 1. Omnes autem Epiſtolæ Diui Pauli hoc igne plenæ ſunt. S. Augu- ſtin⁹ in Soliloquijs. D. Bernar- dus paſſim etiam vtiliter legi poterit, nec min⁹ prodeſt conuerſatio & colloquia cum ijs qui hoc amore ardent, nam ſic Apoſtoli olim illum

*4. mediū
le ſtio
ſpiritua.
lis, &
colloquia
de Chriſto.*

disseminarunt, cum semper in ore Christum Iesum eiusque amorem haberent, passimque inculcarent fidelibus.

s. Affectus & usus re- rum ad Christi neme- riam spe- ctantiu.

Quinto iuuat etiam plurimum bene affici erga res & personas, quæ ad Christi Domini memoriam & gloriam pertinent, quales sunt prælati & sacerdotes, & quæcumque ad sacrificium Missæ spectant, piæ imagines præcipuè Christi crucifixi, numismata sacra, agni Dei, nomen Iesu, B. Xaverius cum ante sanctissimam Eucharistiam non poterat, suas omnes orationes coram Christo crucifixo fundebat. B. Ignatius in Christi Domini gloriam summo Pontifici

eius

eius vicario particulari voto societatem obstrinxit, & certè in omnibus Ecclesiæ prælatis agnoscere illum possumus & venerari, imò & in singulis sacerdotibus prout B. Franciscus faciebat, qui etiam tanta veneratione loca sacra prosequatur, vt sacros parietes in Christi Dei gloriam & honorem attingere vix auderet. S. Boleslaus rex metebat ipse frumentum, vvasque colligebat, quibus sacratissimum sacrificium Eucharistiæ conficeretur.


Sexto utilissima est devotio erga B. Virginem. Nam suapte sponte, & quasi naturaliter ducit nos mater ad fi-

lium, cuius gloriam ardentif-
sime exoptat, & quem ab om-
nibus amari vehementer de-
siderat. Itaque omnes qui pie
eam venerantur, sensim etiam
sine sensu augescere affectum
erga Christum Deum & ho-
minem experiuntur. Quare
vaide prodest quotidie eam
colere, recitando rosarium,
vel legendo eius officium,
quod ab Ecclesia ad recolenda
memoria peracta in ipsa
incarnationis beneficij, atq; a-
deo ad eam honorandam ob-
dignitate matris Dei, qua tunc
obtinuit institutum est.

Idem dici potest de deuo-
tione erga sanctum Iosephum,
sanctum Gabrielem, sanctos

Apostolos omnes, sanctum Lazarum, sanctam Mariam Magdalenam, & Martham, aliosque sanctos omnes quos memini in hoc Christi amore excelluisse. Nam ipsa erga illos deuotio, hunc etiam amorem quo præcipuè sancti euaserunt, & Deo ita placuerunt, pariet, & si eos inuocemus, hunc thesaurum in nos ipsi transfundent. Quare horum catalogum aliquem per modum litaniarum conficere, & subinde in hunc finem eos inuocare

non erit inutile.



PRAXIS QVÆDAM UTILIS
ad exercendum augendumque amo-
rem erga Christum Domi-
num.

CAPVT XXI.

QVAMVIS exijs quæ di-
cta sunt hæctenus, præci-
puè verò superiori capite col-
ligi facile possit qua praxi ex-
exerceri vtiliter, & augeri queat
amor Christi, & difficile sit a-
liquam præscribere quæ om-
nibus conueniat, adeoq; po-
ti⁹ expedire videatur, vt quis-
que aliquam sibi suo ingenio
deuotionique congruam
constituat, tamen non
abs re erit aliquam eius for-
mam exempli causa propone-
re.

Primum

Primùm igitur cùm quis singulari Dei fauore ad specialem hanc erga Christum Dominum deuotionem se inuitari sentit. Ex tanto munere gratias agat diuinæ maiestati, rogetque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, iuxta cap. 19. vt perficiat quod incepit, & vt ei gratiæ cooperetur, certum desumat sibi spatium, v. g. duorum 3. aut 4. mensium quibus huic rei serio vacet.

Secundò toto eo tempore quotidie hanc à Domino aquam viuam, & ignem quem venit mittere in terram, non semel sed sæpius pro occasione, in oratione, in officio, in

facro, in examine, in visitatione sancti Sacramenti perat. Nonnulli ter mane, semel à Patre, semel à Filio, semel à Spiritu sancto, & ter itidem à prandio breui aliqua oratione iaculatoria id postulāt. Sicut qui etiam Sanctos illos, quos norunt Christi fuisse amatores, quotidie adhibent intercessores.

Tertiò conetur bene ea intelligere, & non intellectu tantum, sed etiam affectu penetrare & sentire quae ad Christi Domini aestimationem faciunt. Itaque eius excellentiam & dignitatem, officia, merita, vitam totam penetrare studeat.

Quartò

Quartò meditationes instituat de Christi Domini vita, sic enim hauriret practicã, & vt ita loquar, affectuosam eius cognitionem, & eius sibi formam, præsentiamq; imprimis quæ ad amorẽ vim habet admirabilẽ. Meditationũ autẽ sumenda materia est potius ex Euãgelio S. Ioannis, in quo Christi excellentia expressius describitur, & plurima, quæ ad CHRISTI amorem efficaciter impellunt, continentur.

Quinto lectione spirituali familiares sibi reddat imprimis epistolas õnes D. Pauli, ea præcipuè loca expẽdendo, in quibus agit de Christo. Deinde epistolas S. Ioannis. Deniq; si

qui extent de Christi amore tractatus vtilis, eos attentè, & paulatim singulis quantum satis erit immorando, legat.

Sexto visitet aliquoties in die Sanctissimum Sacramentum, idque eo fine vt ex throno illo amoris, vnde non emittant tantum radij dilectionis ex sole illo iustitiæ, sed etiam fulgura & fulmina ardentia erumpunt totus accendatur & conuertatur in CHRISTVM.

In ea visitatione primò agat gratias de beneficijs à CHRISTO acceptis, præcipuè de notitia, & amore eius.

Secun-

Secundò petat veniã quod
tam parum amet.

Tertiò proponat amare eũ
magis, & petat ignem illum
accendi in se, sed de visitatio-
ne sancti Sacramenti, alias plu-
ra dicendi locus erit, in eum-
dem etiam finem Missæ sacri-
ficium & communionem re-
ferat.

Septimo Christi Domini
de coelo nos contemplantis
præsentiã sibi reddat fami-
liarem, eumq; consideret toti
mundo, præsertim Ecclesiæ
præsidentem & quotidie ali-
quoties bonorum omnium,
quæ habet fontem: illum ef-
se agnoscat, & ita omnem ei
gloriam reddat, & gaudeat

valde tanti illum & eius merita à Patre fieri, vt propter eum ingentia sua, aliorumque crimina Deus remiserit, & quotidie remittat, ac tot beneficijs, tantaque sanctitate Ecclesiam totam & eius membra perfundat. Gratuletur illi traditam à Patre omnem potestatem & iudicium, quod et si & occultè exercet, tamen tanta authoritate circa iustos & iniustos; agat ea de re ipsi Deo gratias, quod ita filium suum clarificet: poterit autem id fieri commodè in primo puncto examinis conscientie.

Octauo quotidie in Christi honorem opus aliquod, aut humilitatis aut mortificationis,

tionis, aut obedientiæ, aut
charitatis erga proximos o-
beat, sicut propter Christia-
morem, & vt eum clarificet,
Deus Pater nos tolerat, & tam
multa bona facit immeritis.
Hæc autem opera eò aptiora
erunt ad Christum clarifican-
dum, quo magis conformia
vitæ eius sanctissimæ; est enim
magna eius gloria, cum re-
presentatur aptè & integrè
perfectionis eius similitudo
in nobis. Quare cordi esse de-
bet cuique vt in suis actioni-
bus omnibus ei se confor-
met.

Nono agnoscat in alijs Chri-
stum Dominum, & ideo ijs se
libenter subijceat, & omnem

exhi-

exhibeat honorem & charitatem, & quidem excellenter honorare Christum in superioribus potest, quos qui audit, Christum audit: deinde in sacerdotibus, qui quotidie coram DEO Patre Christum ipsum repræsentant, & in quibus Christus Dominus adeo sæpe realiter primum per Eucharistiam præsens adest, deinde moralem quandam suam præsentiam relinquit: idem autem est de alijs qui sæpe communicant. Denique de omnibus operarijs dixit, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, manete in me, & ego in vobis. Et certè in religione nemo est, qui non sit seruus Christi,

Ioan. 20.

Ibid. 14.

Mat. 25.

lega-

legatus, & procurator gloriae eius, & instrumentum ad res magnas pro suo statu: extra religionem verò omnes sunt eius membra, omnes eius fratres; vnde quod vni ex minimis fit, sibi fieri dicit. Quare Christum nonnulli receperunt in pauperibus hospitio, aut illi pedes lauerunt. Est enim verisimile, cum pauperibus seruirent, assueuisse in illis Christum contemplari, & ob Christi amorem seruire, quare etiam CHRISTVS ipse seipsum illis exhibere dignatus est.

Decimò conetur CHRISTI gloriam propagare quotidie, quod fit.

Primò

Primò agendo gratias Deo Patri, quod ita filium glorificauerit in mundo.

Secūdò petēdo ab eo quod ipse eius filius, & eodem spiritu, clarifica Filium tuum Pater, vt & Filius clarificet te.

Tertiò in publicis functionibus concionum, exhortationum, catechismi, lectionum cum occurrit occasio de Christi excellentia & dignitate agat, eiusque notitiam & amorem quam poterit efficacissimè animis hominum imprimat, & vt S. Paulus, formet in omnibus Christum.

Gal. 4.

Quartò idem etiam prestat in priuatis congressibus domi


& foris,

& foris, adeò vt nulla dies a-
beat quin occasione accipiat
bis aut ter, Christi Domini a-
morem amplificandi.

Vndecimò nonnulli inie-
runt spirituale quoddam pa-
ctum in eum finem, vt Christi
Domini specialem amorem
in se augeant, & in alios pro-
pagent, in quem finem inter
eos conuenit, sine vlla tamen
obligatione, vt qui sacerdo-
tes sunt, semel in mense sacrũ
faciant, qui verò non sunt, se-
mel in mense rosarium reci-
tent, si possunt coram S. sacra-
mento, & quotidie dum Sa-
crũ faciunt, vel audiunt in se,
alijsque augeri hunc amorem

singu-

singularem petant, & prætere-
 rea ex præcedente praxi ob-
 seruent quæ possunt illud ve-
 rò potissimum, vt serio ardē-
 terque omnes quotquot pos-
 sunt ad eandem specialem de-
 uotionem erga Christum in-
 uitent, facta omnibus pote-
 state, vt alios ad idem spiritua-
 le pactum admittant, qui eo
 ipso participes erunt omnium
 sacrificiorum, & rosariorum
 quæ ab omnibus alijs dicen-
 tur vno quoque die & mense,
 si modo ipsi etiam non de-
 sint suo officio illo
 mense &
 die.



QVIS DEBEAT ESSE FINIS
huius amoris erga Chri-
stum.

CAPVT XXII.

FINIS omnium, vltimus
quem intendere in hoc
Christi Domini amore debe-
mus, non alius est, quam quē
ipse & Pater intendit, nimirū
ipsa Dei gloria. Nam sic ipse
nos docuit. Pater clarifica fi-
lium, vt Filius clarificet te. Et *IOAN. 17*
certe ad illum finem nullum
potuit Dei sapientia conue-
nientius medium excogitare.
Ideo enim Filiū misit in mun-
dum, vt postquam homini-
bus eius diuinitas & dignatio,
beneficentiaq; admirabilis er-
ga nos innotuisset, amor no-
ster,

Ibid. 3.

ster, qui ante vix assurgere poterat in ipsum primum Deum & hominem Christum Iesum figeretur; & inde transfiret in Patrem, quem ipse Christus Dominus testatur ita dilexisse mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quare Filius hoc sui amore deuinctos nos ducit ad Patrem, eiusq; amorem conciliat & nostrum vicissim illum transfert, vt & cognoscamus & diligamus Patrem, quæadmodum cognoscimus & diligimus Filium eius vnigenitum, æternumque ac verum Deum. Est quidem DE o glo-

riofum

riofum agnosci à nobis, amar-
riq; bonitatem suam infinitā
in alijs naturæ operibus. Ta-
men longè gloriosius est in fi-
lio homine facto pro nobis,
vbi tanquam in lucidissimo
speculo, tota Dei bonitas &
maiestas veluti longe lateque
effusa, & palam exposita cla-
rior, maiorque apparet. Cùm
igitur Dei gloria tantum bo-
num sit, & excellētissima eius
promouendæ ratio in hoc a-
more consistat, meritò qui ad
Dei gloriam conditi sumus,
nos continuo in hoc actu oc-
cupare deberemus tam suavi
tam facili, tam pretioso.

Verum hic amor immedia-
te in nobis diuinos quosdam

effe-

effectus & fructus mirabiles
 producit, ex quibus, vltimus
 ille finis Dei gloriæ coalescit,
 ac proinde, vt intelligamus
 quam efficax sit ad Dei glo-
 riam, illi ipsi fructus sunt pau-
 cis enucleandi.

FRUCTVS DVODECIM AMO-
 ris Christi Dei & homi-
 nis.

CAPVT XXIII.

Cant. 7.

MERITO sponsa in can-
 tibus pretiosos benedi-
 ctæ huius arboris fructus con-
 templata tandem ipsa secum
 concludit; dixi ascendam in
 palmam, & apprehēdam fru-
 ctus eius, quasi dicere velit.
 Tanta est suauitas fructuum

arboris

arboris huius vitæ, amoris inquam, Christi Iesu, vt licet pugna opus sit & animi contentione, tamen omnino rebus omnibus creatis relictis, proculcatoq; omni alio amore, eam conscendere, & fructus eius capere decernam & constituam. Et sanè dubium nullum esse potest, quin cum suauissimi illi sint, & vtilissimi ad sanitatem gentium, cuius merito laborandum sit in hoc ascensu. Quanquam etiam non soleat esse diuturnus, aut magnus ille labor, cum eadē sponsa de se testetur, sub vmbra illius quem desiderauerā sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, nimirum tanta est

Cant. 2.

H Christi

Christi Domini benignitas, tanta amoris eius foecunditas, tantæ deliciae, vt vel vmbra eius satis nonnunquam, & incredibili nos voluptate praeueniat, vt non iam ascendere opus sit, sed quiescere & sedere tantum in vmbra eius, & sponte illabentes fructus gustare. Ordinariè tamen prius contemplandi fructus, deinde arbor conscendenda, & tum demum sub eius vmbra quiescendum. Hæc enim vitæ immortalisque arbor non vnum fructum profert, sed multiplicem, atque adeo innumerum eius fructus ad duodecim possunt reuocari. In quo

Apoc. 22

similis est illi qui in Apocaly-

psos

pscos in medio ciuitatis noua, nouos in singulos menses fructus producit.

Primus fructus. Amor Dei.

Primus ergo fructus ille est qui est fons cæterorum, nimirum Dei amor, Sic enim ait Sapientia, Ego diligentes me diligo. Et Christus ipse Apostolis dicebat. ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis. O quam excellens & suavis fructus est amari à DEO! sed qualis est ille amor? si quis, inquit diligit me, diligitur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, nimirum non leuis, non inconstans, sed permanens amor, quo etiã fiat, vt

Prou. 8.

Ioan. 16

Ibid. 14.

Pater ipse, & Filius, & Spiritus Sancti mansionem in nobis faciant, & quasi in proprio domicilio inhabitent. Huius tantæ dignationis rationem aliquam, indicat ipse Christus Dominus. Ut dilectio tua, inquit, qua me dilexisti in illis sit, & ego in eis, nimirum qui verè Christum diligit, in Christo manet, eiq; coniungitur, & Christus ipse in eo, adeo ut Christum ipsum Deo Patri representet in eiusque vicem, tanquam Dei Filius, eadem dilectione sit prosequendus, qua Pater CHRISTVM diligit. Fons ergo ille amoris qui ex corde Patris, in Christum filium effusus est propter Chri-

Ibid., 17.

stum

stum, in eius amatores redun-
dat cum ingenti copia bono-
rum.

Quid mirum est ô bone Ie-
su, quod amari me dicas à Pa-
tre, si te amem, si quia te amo
in me es, qui non potes à Pa-
tre non vehementer amari?
huius ergo amoris mensuram
longitudinem, latitudinem,
sublimitatem, & profundum
metire, ô homo si potes. Nam
sicut diligit Pater Filium, &
omnia dedit ei in manu; ita
cum donavit filium, nonne
omnia cum eo nobis donavit
vt nos in illo tota amoris pro-
fusione prosequatur? Si igitur
amari à Patre desideras, si de

Rom. 8

æterna eius dilectione, & ele
ctione tua certus aliquo mo
do fieri optas, lætetur cor tu
um; si enim Iesum, si quæ
Iesum pertinent, & ei chara
sunt, matrem eius imprimi
B. Virginem amas, quid du
bitas quin à Patre ameris cum
ipse dixerit. Ipse Pater amat
vos, quia vos me amastis. Hoc
enim est testimonium, quod
mentibus nostris has æternas
felicitatis promissiones Deus
obsignat, & spem nostram
confirmat. Qui enim credit
fide nempe viua, quod Iesus
est Filius Dei, habet Dei testi
monium in se: adeo ut secura
re dicat cum Apostolo, Cer
tus sum quia neque mors, ne

que vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate DEI quæ est in CHRISTO IESU Domino nostro.

Secundus fructus. Diuine legis obseruatio.

Lex noua, lex quidem est, atque adeo præceptorum onus imponit, sed est lex amoris Christi, qui vt efficacissim⁹ est exactor totius legis; ita etiam est suauissimus: Discite inquit à me, quia mitis sum & humilis corde, & tollite

Matt. II.

iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue, quare iugum suaue, quare onus leue? eadem enim precepta ante legem, hominibus data sunt, sed ideo iam suauius, quia tanta per Christum effusa est vis amoris, tam eximia beneficia collata, tantæ legislatoris amandi illecebræ manifestatæ sunt, tanta bonorum æternorum promissio facta, tanta abundantia gratiæ dispersa, ut iam nihil sit facilius quam legem seruare, imò omne pondus pene sublatum esse videatur. Nam iusto lex non est posita, quid enim opus, lege cogente ab extrinseco quando

amo-

amoris pondus ab intrinseco
 in id omne inclinatur quod Deo
 & CHRISTO gloriosum, bo-
 numque & beneplacitum es-
 se potest? Charitas enim
 CHRISTI urget nos. Verus
 CHRISTI amator non con-
 siderat legem, non atten-
 dit obligationem, sed legisla-
 toris amorem, & inestimabi-
 lem bonitatem, quæ digna est
 ut perfecta subiectione omni
 creaturæ clarificetur. Merito
 ergo Christus Dominus, Qui
 diligit me, inquit, sermonem
 meum seruabit; quo non tan-
 tum significat sine observa-
 tione legis stare non posse a-
 morem, sed etiam quanta fa-
 cilitate is qui gustum amoris

104.14.

H 5 Christi

Christi habet, legem impleat.
Quomodo enim fieri potest,
vt facile peccet qui sincere
Christum amat, & tenerè erga
illum afficitur, quem pro pec-
catis tanta passum esse credit,
& cui scit peccatum quodli-
bet summè displicere? Et cer-
tè qua proportione crescit æ-
stimatio bonitatis inæstima-
bilis Dei, eadem etiam augetur
odium ac detestationem om-
nis peccati necesse est. Cum
igitur amor Christi Iesu, si ve-
rus sit, huius diuinæ bonitatis
tam effusè exhibitæ homini-
bus æstimationem summam
contineat, sine dubio procul
voluntatem ab omni foedita-
te peccati remouet. Quare

I IOAN.

verus

verus Christi amator Aposto-
 lus; ōnis, inquit, qui in Chri-
 sto manet, nō peccat, & omnis
 qui peccat non vidit eū, nec
 cognouit eū, ac proinde cum
 eum non itā cognoscat, nec
 etiam æstimat, aut diligit, & i-
 deo peccat. Et paulò post: O-
 mnis, inquit, qui natus est ex
 Deo, peccatum nō facit, quia
 semen ipsius in eo manet, &
 non potest peccare, quoniam
 ex Deo natus est: non quod
 absolute peccare non possit,
 sed quia quamdiu diuinū hoc
 semen amoris Christi fouet in
 pectore, fieri non potest vt
 non proferat suauissimos fru-
 ctus obseruationis mandato-
 rum Dei.

Ioan. I.

Ibid.

Sparge & foue, o bone Iesu, in terra cordis mei semen hoc amoris tui, & sterilitati eius medere, vt nunquam peccem, nunquam non integros obseruationis legis tuae fructus ad maiorem gloriam tuam proferam, & quae tibi, quae Patri tuo placita sunt semper faciam.

*Tertius fructus, obseruatio consiliorum
Dei.*

Non dedit tantum nobis Christus legem, sed etiam cum esset magni consilij Angelus, proposuit diuina plane ad perfectiorem legis obseruationem consilia. Haec vt sequamur impellit fortiter Christi Domini, qui ea tradidit, di-

gnitas,

gnitas, maiestas, authoritas,
æstimatio, & dilectio. Vrsit
hæc charitas tot martyres, vt
sanguinem funderent perli-
benter, & innumerabiles à
mundi, rerumque terrenarū
amoribus abstractos, eadem
ad crucis vexillum nudos ad-
uolare compulit & compellit
quotidie. Qua vi? quia maio-
res diuitias æstimarunt the-
sauris omnibus, atque adeo
propria vita improperiū cru-
cis Christi. O Amor Christi
prudentissime rerum æstima-
tor, dissipa fraudes mentis
meæ, eamque instrue quan-
tus sit Christus, & quod sit ve-
rum pretium minimæ gloriæ
eius, vt præ illa vilescant mihi

diuitiæ, honores, fauores, cō-
moda, fama, & ipsa tandem
anima mea, adeo vt nihil om-
nino sit quod refugiam, vt
bonum aliquod gloriæ ei pa-
riam, eiusque me ministrum
exhibeam si opus sit in multa
patientia, in tribulationibus,
in necessitatibus, in angustijs,
in plagis, in carceribus, in se-
ditionibus, in laboribus, in
vigilijs, in ieiunijs, in castita-
te, in scientia, in longanimi-
tate, in suauitate, in Spiritu
sancto, in charitate non ficta,
in verbo veritatis, in virtute
Dei per arma iustitiæ, à dex-
tris & à sinistris, per gloriam,
& ignobilitatem, per infamiam,
& bonam famam, vt

2. Cor. 6.

sedu-

seductorem, & veracem, sicut qui ignotus & cognitus, quasi moriens, viuens autem, non tamen ego, sed viuat in me Christus.

*Quis fractus. Illuminatio mentis
practica.*

Sicut Christus Dominus lux est mundi, ita unio cum illo per amorem vitæ lumē est, quod mentium nostrarū tenebras dispellit; eas præsertim quibus in quotidianavite nostræ praxi inuoluimur, quæ pendet plurimum à recto affectu quem CHRISTI amor componit. Nam, sedata omni inordinatione, suo nos pondere inclinat in id, quod perfectum, Deoque
gratific.

gratissimū est, & radios quosdam cœlestis lucis afflat, vt in omnibus rebus rectè iudicemus quid in ijs Deo placitum sit, quid contrà eius gloriæ aduersarium. Est enim perspicax omnis amor, sed maximè diuinus, adeò vt diuinam gloriā latentem in vnaquaque re percipiāt, & cernat acutissimè, pretiosum à vili discernat. Hinc certè diuersitas illa iudiciorum in hominibus mundanis & Deum amanti- bus, & sapientiæ prudentiæq; sanctorū, ac mundanæ & carnalis dimanat. Hinc vera discretio oritur, quam ex Christi Domini dictis, & factis circa omnem omnino virtutem

practi-

practicè in actiones nostras
idem hic amor effundit, vt
quis sit verus actus humilita-
tis, patientiæ, mansuetudinis.
Quis verò fictus, quis perfe-
ctus, quis imperfectus iudica-
re non sit admodum diffici-
le.

Quintus fructus. Fiducia magna.

Hunc pretiosum fructum
tanquam sibi maxime pro-
prium, & copiosiore & pul-
chriorem grandioreque e-
ducat hæc diuina arbor. Nam
cùm in Christo sint reposita
nobis omnia bona, & ab eo
velut à capite nostro necessa-
riò haurienda sit, & peccato-
rum remissio, & gratia omnis
& gloria, id non aliter fieri
potest,

potest, quā si simus in ipso per
charitatem radicati & funda-
ti. Sic enim vis amoris suc-
cum omnem potentiae, sapiē-
tia, bonitatis, misericordiae,
ex eius thesauris, ex vulneri-
bus, ex latere, cordeque ita
Ephes. 1 abundanter haurit, vt nihil o-
mnino deesse possit in vlla
gratia in ipso. Hic fructus in-
numerabilium etiam pecca-
Phil. 4 torum morbis, imo morti ip-
si medetur, temperat vim pra-
uorum habituum, roborat in
difficultatibus, in periculis a-
nimat, & alioquin infirmum
& imbecillum hominem, di-
uina quodammodo omnipo-
tentia induit vt dicat, Omnia
possum in eo qui me confor-

tat.

tat. Quid enim non posset amator Christi syncerus? eius enim est qui vincit mundum. demonem & seipsum, nisi qui credit quia Iesus est Filius Dei. Legat cui placuerit, sancti Pauli Epistolas, & quanta in Christo sit bonorum omnium fiducia, facile intelliget.

Sextus fructus. Iugis consolatio, & devotio.

Si cæteri omnes fructus huius arboris sunt dulces gutturi sponsæ certè longè magis hic, qui est ipsa dulcedo; quæ ex ipsa cum Christo vnione, tanquam è summo quodam bono perfectè dimanat. Hunc fructum

discipu-

*Ioan 15.**Ibid. 16.**Ibid. 17.*

discipulis promisit. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Et iterum Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis; nec promisit tantum, sed etiam postquam à patre ijs amorem ipsum petijt, postulat, & hunc amoris fructum. Hæc loquor in mundo, inquit, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Quid enim est gaudium Christi aliud, quam testimonium Dei quod habet in se qui credit in Filium eius Iesum? Quid est gaudium Christi aliud quam iugis illa consolatio, quam Apostoli perceperunt,

perunt, ex bono gloriae Christi tam longè, latèq; & in cœlo & in terra, tantaque auctoritate patris per tot miracula amplificatæ. Hæc enim amatores Christi Apostolos supra quam dici potest spirituali lætitia afficiebat continuo, & replebat, adeo ut irent gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti erant pro nomine Christi contumeliam pati; quod etiam experiuntur omnes qui Christo verè uniti sunt. Nam Spiritus Sanctus huius gaudij & pacis auctor, & verus Paracletus, non Apostolis tantum, sed fidelibus omnibus promissus & datus est. Et certè cum suavis Dei pro-

act. 5.

uident.

uidentia actiones omnes quo
difficiliores sunt & magis ne-
cessariæ, eo maioribus qui-
busdam delectationibus con-
dierit, ad eam spectabat excel-
lentes adeo & mirabiles vitæ
spiritualis operationes coele-
sti consolatione, & diuina
quadam dulcedine perfunde-
re, quàm vt proprio fonti cõ-
iunxit. Hinc amor Christi à
quo Paracletus ipse & proces-
sit, & promissus est suo loco,
& datus fidelibus. Conque-
rimur nonnunquam nobis
gustum rerum spiritualium &
deuotionis sensum deesse. Ver-
rum quid mirum? cum lan-
gucat amor Christi Iesu, qui
est veri eius gaudij & gustus

origo

origo perennis. Probet qui
voluerit, & si singulari se stu-
dio deuotioni erga Christum
Iesum Deum & hominē adi-
xerit; non tantum iugem in
animo pacem, sed & gaudium
in Spiritu sancto, & ardorem
pietatis, flammamque deuo-
tionis in suo pectore efferuef-
centem continuo experietur,
quam si quo casu interrup-
tatur, vix vlllo negotio repa-
rari mirabitur. Quod ideo fit,
siue quia sensibile amoris ob-
iectum, & innumera CHRI-
STI beneficia quæ nos vndi-
que cingunt & coronant, ve-
luti natura sua sensibilem e-
tiam deuotionem excitāt; Si-
ue quia benignissimus Pater

illam

illam cordis sui teneritudinē,
 quam in dilectum Filium suū
 habet nobiscum communi-
 cat; vt in hac conditione no-
 ster in Christum amor, amo-
 rem ipsum paternum in lege
 gratiæ imitetur, quod veteri
 illi concessum non est, in qua
 nondum Filius Dei erat reue-
 latus, nec in natura nostra
 glorificatus.

*Septimus Fructus, Fidei, & religionis
 ardor.*

In primitiua Ecclesia, vi-
 gor ille Fidei, & religionis qui
 in fidelium mentibus adeo
 mira operabatur, profluebat
 ex recenti adhuc beneficio in-
 carnationis, & redemptionis
 Christi. Viuebat nimirum ad-

huc

huc memoria recens Christi
Iesv, & eius amor nouus
adhuc, tanquam nouum vi-
num in animis Apostolorum,
& eorumdem successorum
bulliebat; erant enim musto
pleni. Hinc tantus in fide ar-
dor, tanta constantia, tanta in
Deo colendo religio, tanta re-
uerentia, tam exactus ordo,
tanta sanctitas, quæ sensim
veterascente Christi memo-
ria, euanescere visa sunt om-
nia. Sicut & S. Thomas ali-
cubi docet Dei vnus cultum
initio mundi feruentem, sen-
sim obliterato Dei amore, &
timore perijisse in terra. Quæ
ergo ratio renouandi pristinū
illum ardorem? certe hæc v-

na superest, si frequenti memoria, & diligenti meditatione Christum Iesum nobis presentem faciamus, & ex collatis in nos beneficijs, nouum eius amorē accendere conemur. Nam & ideo se nobis in Eucharistia reliquit, vt nūquam apud nos eius memoria caderet, nunquam amor sopiretur, & proinde religio omnino tempore effloresceret. Certe vsu ipso tot sæculorum didicit Ecclesia, nihil ita ad fidei & religionis renouationem excitasse fideles, sicut Christi amor, & vita à quibusdam uiris sanctis à Deo missis mundo repræsentedata. Et nemo est qui non sentiat in seipso, ex

eodem

eodem pio in Christum affectu, & solidiorem fidem & pietatem in Deum pleniorē. Supponit quidē amor Christi Iesu fidem, sed mira efficacitate cū feruet, agit vicissim pro fide, & nouis è coelo haustis luminibus obiecta omnia fidei ita illustrat, quasi ipse nobiscum adhuc versaretur vnigenitus qui est in sinu Patris, & quæ olim mundo annunciauit, eadem inculcasset. Nam quemadmodum dū viueret, non eodem omnes modo dictis ei⁹, & testimonio, quod perhibeat veritati, fidē habuerunt, pendeat enim id ex pio in illum affectu, quem non omnes habuerūt; Ita hoc

Ioan. i.

Ibid. 1.

etiam tempore, cum non pariter eum ament, & erga illum afficiantur, non eadem est fidei firmitas in omnibus, quam sine dubio vigeret quam maximè si ille ipse amor, in Ecclesia semper ardens, conservari posset.

Octavus fructus. Christi Domini presentia.

Mat. 28.

Nobiscum quidem est Christus Dominus usque ad consummationem sæculi, partim realiter in Eucharistia partim providenita & affectu: sed parum nobis prodest ad spiritus profectum, quod presentia adsit nobis, nisi & nos illi presentes simus, atqui non censemur illi presentes, nisi cum

illam

illam ipsam eius præsentiam
sentimus, quem sensum effi-
cit cum fide, CHRISTI amor,
nam vbi amor, ibi oculus.
Quare qui parum Christum
amant, scimus illos vix in an-
no de eo semel cogitare. At
quã sit vtilis & suavis hic fru-
ctus, experti sciunt. Eo enim
non tantum confirmatur fi-
des, spes excitatur, deuotio ef-
feruescit, sed mirabilis quæ-
dam animi magnitudo ex du-
cis aspectu in animum militis
deriuatur, quæ difficultates
omnes superat, propter eum
qui dilexit nos, & tradidit se-
metipsum pro nobis, & apud
Patrẽ interpellat nobisq; glo-
riæ coronã promissam parat.

Eph. 7.
Rom. 8.

*Nonus fructus. Vnio cum pro-
ximo.*

Præceptum diligendi pro-
ximum propter Deum, diffi-
cilè olim; Christi amor reddit
facillimum. Cùm enim Deus
ipse qui est ratio diligendi, nõ
dum apparuisset mundo, & e-
ius bonitas non ita mundo &
hominibus adhæresceret, dif-
ficile erat propter Deum eos
diligere. at iam postquam De-
us factus est homo, & sua illa
bonitate omnes quodammo-
do homines tanquam sua
membra informauit, suapte
sponte amor noster in Chri-
stum, vt in caput ad omnia
membra pertinet, & ex illo
nisi quid obstet, in omnes

proxi-

proximos diffunditur. Quare
ideo etiam dedit mandatum
nouum amoris, quia nouo
iam iure, nouo vinculo, om-
nes deuincti sumus in Christo
qui vnum omnino sumus in
Christo.

*Decimus fructus. Zelus ani-
marum.*

Multiplici iure fructus, hic
è radice amoris Christi enas-
citur, prout ad varias virtu-
tes spectat. Nam prodit ex a-
more Dei, quatenus anima-
rum salus pertinet quam ma-
ximè ad gloriam Dei, siue vt in
hac vita ab omnibus colatur,
ameturque, siue vt in altera,
æternæ eius gloriæ fiant par-
ticipes: Cuius amoris DEI

tota vis in amore Christi fortius, excellentiusque agit. Quod si in ipsa animarum salute considerentur gloriosæ Christi redemptoris diuitiæ, magnificentia, efficacia, iam zelus animarum proprius erit fructus amoris Christi. Denique si ex dilectione proximi prodeat, supra diximus ea quanto auctior sit ex coniunctione cum Christo, & illa dignitate quæ ab ipso singulis afflatur. Et certè vix vnquam satis efficaciter ad eam propugnandam, & in æternum conseruandam animamur, nisi ab ipso Christi amore incitemur. Qui enim ex proximi tantum dilectione prodit zelus, mi-

nus

nus solet esse fortis, & efficax. Itaque zelus animarum proprius est amoris effectus, & genuinus Spiritus Christi fructus.

Vndecimus fructus. Maior efficacia functionum circa proximum.

Miramur in Ecclesia tot doctissimorum virorum labores, tanta studia adeo parvuli operis afferre fidei, tot erroribus exagitatae, & vitae puritati tot infectae corruptionibus. Certè vel hinc maximè petenda ratio videtur, quia licet praestantes sint functiones, tamè carent vera sua forma, quæ est Christus, quam ijs imprimere solus Christi amor potest, qui quo vehementior est, eo illæ solent esse efficaciores. Huius

rei triplex omnino est ratio.

Prima est, quia qui verè
Christum amat & æstimat vt
par est, non poterit non sæpè
loqui de eius maiestate, perfe-
ctionibus, amore, beneficijs
in nos collatis, dictis, factis,
mysterijs, miraculis, virtuti-
bus, præcipuè verò de passio-
ne & morte, quæ omnia quàm
efficaciter agant, & experien-
tia quotidiana docet, & olim
B. Dominico reuelatum est.
Cùm enim aliquando post
multas conciones conquere-
retur de exiguo fructu, Beata
Virgo eum blande consolata,
monuit, vt filij sui mysteria
in concionibus tractaret sæ-
pius, futurum inde, vt ma-

gnum

gnum singuli fructum per-
ciperent, id quod postea con-
tigit.

Secunda est, quia qui verè
Christum amat, & dignam
de eo existimationem conce-
pit, cum de eius vita & passio-
neaget, non poterit non cum
magna reuerentia, & dicendi
maiestate id præstare. Vnde
fiet, vt verba eius instar ignite
faculæ, auditorum corda in-
flamment & penetrēt, parem-
que de eo existimationem pa-
riant.


Tertia quia sicut diuina o-
mnia beneficia à D E O per
Christum in nos deriuantur,
in eo enim & cum eo, & per
eum sunt omnia; ita cum

aliquo tanquam instrumen-
to ad aliorum opem vti con-
stituit Deus, hanc præcipue
in eo dispositionem requirit,
vt quid efficaciter agat, vt
Christi amor in eo ferueat: sic
enim sese non tantum Deo
coniungit, vt principali au-
thori salutis, sed etiam Chri-
sto, vt causæ meritoria, & ve-
ro exemplari. Cùm igitur to-
ta animarum procuratio cõ-
missa sit Christo, & ab eius me-
ritis omnino dependeat, fru-
ctum esse eo maiorem necesse
est, quo influit ipse magis. Eo
autẽ eum influere magis cer-
tum est, quo ex eius puriore
feruentioreque amore, hæc
ministeria suscipiuntur. Est e-

nim

nam proprium amoris, per intentionem nostra opera efficere propria aliorum, nec agnoscit Christus aut Deus Pater aliquam functionem, ut suam, quæ ex alio fonte prodeat. Quare hoc valde commendatum esse debet ijs, qui ad salutem aliorum procurandam vocati sunt, ut Christum in quo Deus Pater omnes, ut filios adoptiuos diligit, ardentè & tenerè ament, ut illum in alijs formare queant. Et Christus hunc amorem à S. Petro exegit, & vetuit Apostolos prodire in publicum, nisi missò Spiritu S. hoc essent amore corroborati. Et certè nostra hac ætate, illos, qui v-

beriores fructus in Ecclesia
pepererunt, & plus opis ei at-
tulisse videntur, hoc amore
ardentes fuisse constat, inter
quos Ioannes Auila, cum sin-
gulari modo in Christum, &
sacratissimam Eucharistiam
esset affectus, in illorum, qui-
buscum agebat corda, tanta
vi irrumpebat, vt ingentes a-
nimorum motus efficeret. Et
Beatus Pater Ignatius, hoc
præcipuè, igne à Deo succen-
sus non parum per se, suosq;
Ecclesiæ sanctæ profuit. Ro-
gemus Dominum messis, vt
tales mittat operarios in
messam suam.



*Duodecimus fructus. Christi Domini
initio.*

Hic inter omnes vberim⁹
fructus est, nam omnes iam
dictos, & innumeros alios suo
complexu continet. Est enim
hic, inter cæteros, finis incar-
nationis Christi Domini. Nā
cū homo à vero fine aber-
rasset, & mediæ gloriæ diuinæ
nobis à Deo commendata ne-
glexisset, Deus ipse factus est
homo, vt suo nos exemplo
doceret, quid Deo debeamus,
quæ salutis, & æternæ gloriæ
comparandæ via tenenda
nobis esset. Hoc exemplum,
vt efficacius redderetur, tan-
ta illud amoris vi condi-
uit, vt fortissimè quosque

post

post se trahat. Quis enim tam
amantem, & beneficum du-
cem sequi renuat præeuntem,
& humanissimè suauissimèq;
inuitantem? Hoc vno vincu-
lo liberrimi, & maximè spon-
tanei amoris traxit hæctenus,
& trahit adhuc innumeros
post se, qui currunt in odorem
vnguentorum eius, & vitæ e-
ius virtutumque vestigijs ala-
criter insunt. quæ certè cū
nonnunquam asperitatem a-
liquam, contradictiones, per-
secutiones, irrisiones, oppro-
bria, paupertatem, contem-
ptum, labores, dolores, mor-
tem, crucem habeant, nisi hic
amor condiret omnia, & cor-
da eorum pijsimo regi, & re-

dempto-

demptori agglutinet, facile
 ad pristinas vias redirent; sed
 urget eos amor Christi, vt qui
 viuunt, iam sibi non viuant,
 sed ei qui pro ipsis mortuus
 est. Huius effectus est testis
 locuples S. Paulus, qui cum
 flagranti Christi amore absor-
 beretur, ita in eum est trans-
 formatus, vt auderet se in ex-
 emplar ad Christum imitan-
 dum, proponere; Imitatores
 mei estote, sicut & ego Chri-
 sti; imò in omnium animis
 CHRISTVM formaret, filioli
 quos iterum parturio donec
 formetur Christus in vobis.
 Nam in eo loquebatur Chri-
 stus, experimentum vultis e-
 ius qui loquitur in me Chri-
 stus;

2. Cor. 5.

1. Cor. 11.

Gal. 4.

2. Cor. 13


Gal. 2.

stus in eo impressis stigmatibus vigeat; in eo viuebat, operabatur, patiebatur, Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.

Verè enim ò Domine Iesu, amor ille tuus sanctissimus puritatis omnis, & sanctitatis artifex, fornax est ardentissima, quæ non excoquit & consumit solùm rubiginem veteris nostri hominis, sed colliquefactos nos, in nouam vitæ tuæ sanctissimæ formam transfundit.

F I N I S.

ORÁ.



ORATIONES PRO IMPE-
trando amore Christi
Iesu.

AD PATREM.

OMNIPOTENS æter-
ne Deus, Pater Do-
mini nostri IESV
Christi, gratias tibi
ago, quod ita dilexeris mun-
dum, vt vnigenitum tuum
nobis dederis, per quem cum
fiducia haberemus accessum,
ei ô Pater sanctissime promi-
sisti gentes in hæreditatem:
trahe ergo nos DOMINE
DEVS ad eum, clarifica in
nobis filium tuum, vt te
clarificauit. Da IESVM

habita-

habitare per fidem in cordibus nostris, illumina oculos nostros, ut sciamus, quæ sit spes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ eius in sanctis, & quæ supereminens virtutis eius magnitudo, ut eum diligamus, sicut tu dilexisti: & ut omnia tua dedisti illi in manu, ita nos, nostraque omnia subijciamus, ut tanquam primogenitus noster & caput sit per omnia in nobis benedictus, Amen.

AD FILIVM.

DOMINE Iesu Deus noster, à quo omnia bona nostra ut capite sanctissimo profluunt, lux mundi, via ad

Patrem

Patrem vera & viuifica, ostiū
per quod qui introierit, salua-
bitur, fons vite, qui vitā illam
diuini amoris, in sinu Patris
absconditam, patefactis in te
bonitatis diuinæ, ac benigni-
tatis diuitijs nobis manifesta-
sti: adimple in nobis gau-
dium tuum, teque in nobis,
& toto mundo clarifica, illu-
minans vultum tuum super
nos, vt cognoscamus in terra
viam tuam, & diuinæ sapien-
tiæ dispensationem, & dile-
ctio qua te diligit Pater æter-
nus, sit in nobis, vt sicut ille
est in te & tu in eo, ita & tu sis
in nobis, quidquid habemus
sanctissimæ tuæ gloriæ omni-
no deuotum possidens, & car-
ni,

ni,

ni, mundo, nobisque per veram abnegationem mortui, tibi, & in te semper viuamus, Amen.

AD SPIRITVM SANCTVM.


SANCTISSIME Spiritus, verus æternusque Deus, adorandæ Trinitatis amor, qui à Patre, Filioque procedens missus es in hunc mundum, Christum clarificare, & de eo testimonium perhibere, ita vt sine te, nemo possit dicere, Dominus Iesus; quæso igitur, vt internum nobis de eo testimonium perhibeas, quod sit Dominus & Deus noster, via, veritas, & vita, absconditum à sæculo sacramentum

& in.

& inuestigabiles diuinæ sapiē-
 tiæ ac bonitatis diuitias nobis
 manifestans, in hac nos veri-
 tate sanctifica, sanctificator
 omnipotens: postulare nos
 fac gemitibus inenarrabili-
 bus sanctissimum Iesu amo-
 rem, eumque nobis ipse tri-
 buere bonorum omnium lar-
 gitor, vt per quem Pater in
 Filio, & Filius in Patre, tuque
 in ijs, & illi in te sunt, ita per
 te maneamus in Christo,
 & ille in nobis A-
 men.


Ad maiorem Dei gloriam.







&
li-
se-
pla
re
en-
on-
le-
te
tij.

D.







P
Candier

Th
2899